6
11-c
101

6
10 B
38
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE

E 2/24

[Bibli]otheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

22-c-33

6-11-C-101

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

GVLIELMI DONDINI BONONIENSIS

E SOC. IESV

PANEGIRICI.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNES PAVLVS OLIVA

Soc. IESV Vicarius Genaralis.

CVm panegyricos P. Gulielmi Dondi*ni noſtræ Societatis Sacerdotis aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtatem facimus, vt typis mandentur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur; cuius rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas damus Romæ* 7. *Auguſti* 1661.

Io. Paulus Oliua.

Imprimatur

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

O. Archiepiſc. Patracen. Viceſg.

Imprimatur

Fr. Raymundus Capiſuccus Sacri Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

Romæ, Typis Angeli Bernabò 1661.
Superiorum Permiſſu.

EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCIPI

FLAVIO

S. R. E.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CARD. CHISIO

GVLIELMVS DONDINVS F.

ARTEM panegyricam, Eminentiſsime Princeps, fuiſſe

 mun-

mundo coæuam acce-
pimus,cum primus re-
rum effector, & lauda-
tor Deus conditam à ſe
lucem elogio bonitatis
ornaret. Imitata diui-
nam humana facundia
in eo gloriam ponit, vt
veram amplitudinem
in bono lumine collo-
cet; non vt augendo
rem verbis, ex parua
magnam, mendacium
vi-

videlicet faciat. Cuius artis peritiam cum orator Græculus venditaret, redargutus dicitur à Lacone, perinde ac ſutor, qui exiguo pedi calceum ampliſſimum ſtrueret. Ad hanc formam panegyricos noſtros exigere ſtudiũ fuit, eos præſertim, quos in ſacellis Pontificum, auguſtiſsimo orbis ter-

Digitized by Google

ræ auditorio,quinquies in ſuneribus Regum,& Regis Regum Chriſti Seruatoris habuimus. Quòd ſi tributum elogiorũ,& laudũ in Coll. Romano ALEXANDRI VII. P. O. M. gloriæ ab vniuerſa Sodalitate dedicatum, cui nos quoque de ingenij ære contulimus, iam pridem in Tuo nomine ap-

Digitized by Google

apparuit, hos ego pari.
ter panegyricos occa-
ſione comitiorum no-
ſtri Ordinis editos in lu.
ce tot nationum Tibi
Princeps Eminentiſs.
inſcribere debui, qui
nobis venerandus vt
vnũ quid, indiuiduũq;
cum Principe de Soda.
litate vniuerſa præclarè
merito, qui nos, vt ac.
ceptos Patruo Pontifici
filios

filios,& amas,& amaris. Accedunt publicis no-minibus et priuata, quòd iam olim CHI-SIAE familiæ deuin-ctus beneficos veſtri ſolis radios ante hau-ſerim, quàm in me-dio Vaticani cœlo ful-geret. Tam grande co-lumen veſtræ gentis Chriſtiani Orbis præſi-dio, atque ornamento

ſo-

ſoſpitet Deus; Teque il.
li ſeruet incolumem,
quem, tum participata
cum ſanguine de excel.
lentiſſimo parente MA.
RIO Chiſia magnani-
mitas, & conſilium, tum
induſtria Tua partæ
morum grauitas & do-
ctrina digniſſimum
reddunt, qui Romanæ
aulæ conſilijs, & regi.
mini præſis populo.

rum,

rum, ſecundus à Prin.
cipe. Neque enim Ti.
bi ea felicitas, an ca.
lamitas? contigit quæ
nonnullis, vt vix poſita
puerili bulla ſceptra
capeſſerent, & ignari
regendi ſui, regimen ca.
perent populorum, di-
ſcerentque non ſine
malo publico errando
ſapere. *Sed in ipſo ro.*
bore ætatis, & rationis

ty.

tyrocinium purpuratæ dignitatis ponere iuſſus in patria per aſſertas iu. ris prudentiæ theſes, meritamque lauream, apud nos in humili ſacerdotis honore, ornatuque, cum pijs exer. citationibus interius animi regnum conſtabiliſſes, pedetentim ad artem artium ſcientiam Imperatoriam acceſſi-

ſti

ſti, & in conſortium principalium curarum poſt biennium Pontifi. catus exactum admiſ. ſus es. Hinc illa rerum par moli prudentiæ maturitas, capax arcani pectus, plus cordis ha. bens, quàm oris facun. dia, cum ſtudio recti, & comitate, qua beneuo. lentiæ populi ac mini- ſtrorum indulges ma.

gni

gnitudinis Tuæ ſecu.
rus; cœteræque eximiæ
laudes,quibus, vt natu.
ra Patrui Pontificis in.
dolem, ſic virtutem
imitando expreſſiſti.
Vale.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TRIVMPHALE
CERTAMEN
PATIENTIS DEI.

ORATIO

HABITA DIE PARASCEVES

in Sacello Pontificum Vaticano

AD ALEXANDRVM VII.

Pont. Opt. Max.

Digitized by Google

ORATIO.

BELLVM exponam, B. P. Dei ſanguine fœdum ſimul, ac ſplendidum, lugubre, lætum, aſſerta mortalium generi vita, & victoria, per necem immeritam Domini conditoris. Bellum infeſtum non minùs ab amicorum oſculis, quàm hoſtium telis, perinde ſanguinolentum inteſtina ſeditione, ac marte externo. Inchoatum quidem ante quatuor, & triginta annos à Dei filio pro lorica cilicium mortalitatis induto, ſed hodie demum in Iudæa, magnis vtrinque viribus, maioribus animis, maximis hinc vitijs, hinc virtutibus decertatum. non ſine ſenſu rerum vniuerſitatis Opifici ſuo collaborantis. Cum tremore terrarum, trepidatione mortuorum, colliſione montium, pallore ſiderum. Certaminis magnitudini pares exitus. Vindica-

dicatum in libertatem genus humanum, alia euerſa regna, alia fundata, Synagogæ Pontificatus abrogatus, Eccleſiæ traditus, noua ſacramenta, nouæ leges, noui propemodum homines. Nec expertes commotionis tantæ, prout ſletere in partibus ſuperi, aut inferi. Mors domita, peccatum extinctum, Lucifer catenatus, de manubijs Erebi Cœli triumphus. Belli oppoſitæ cauſæ: in altera parte amor, in altera odium. Chriſti charitas erga hominem, quem condiderat, quem aſſumpſerat, profuſa vſque ad exinanitionem ſui. Iudæorum odium in veritatem ex conſcientia ſcelerum, inuidia miraculorum, metu amittendi principatus furens, vſque ad excidium Dei. Principium à domeſtica fraude, auaritia diſcipuli ad venumdandum Chriſti ſanguinem erupit, quem ſacerdotum iniquitas emit, vt funderet. Amicus particeps conſilii, & menſæ, altaris, ac templi participes ſacerdotes conſpirarunt ad perimendum Dei filium, & peremerunt. Neque hi tamen ardentius cupiunt Deum perdere, quàm Deus pro his perire. Suprema cœna teſtis! de ſi-

de-

derio deſiderata, vt in menſa cruentiſſimum prœlium adumbraret, ſui corporis, & ſanguinis veritate. Teſtes Gethſemani deliciæ ciuilis horrore belli funeſtatæ. vbi affectus animi milites tumultuantes, abnuenteſq; certamen cum exercitu cruciamentorum, victoriam non incruentam ceſſere charitati. Quanta erit atrocitas prœlij, cui prœlijs proluditur! Cuius imago vel inter pocula, meditatio vel inter flores, ſanguine redundauit. Iam verò ſuorum excubiis excitatis aduerſus hoſtem graditur Imperator in ſtola ſua venarum murice colorata formoſus. Prima quaſi miſſilibus pugna velitaris oſculatione peragitur, hinc virulenta proditoris odio, hinc mellea prodi gaudentis charitate. Placebat Cæſari proditio aliena non proditor. Chriſtus qui proditur, nec proditio nem refugit nobis profuturam, & amat proditorem. Amici teſſera, & nomine ſuſcipit olim commilitonem, hunc tranſfugam, bellum ordientem à ſigno pacis, & per arma beneuolentiæ odiis militantem. Amantis Chriſti iaculum per os Iudæ ad vitalia cordis deſcenderat, & ò bea-

BIBLIOTECA NAZ.

beatum! ſi vulnus excipere maluiſſet. Infelix! vinci non meruit. Aduerſus amoris tela contumax terribili vocis fulmine cum ſociis militibus arietatur in terram. Bene habet, confectum eſt bellum. *Stante* inermi victore, reſupinati iacent hoſtes armati. Sed triumphum canimus ante victoriam, dum victorem Chriſtum dicimus ante mortem. Mundo ſalutem, triumphos Filio cæde venales propoſuit Pater. Mutatur igitur forma bellandi. pro aureis Diuinitatis armis, in fragili hominis natura congreditur; laxata tenebris poteſtate, vt quidquid malorum odia Demonum, hominumq; congerent, ex amore patiatur Deus. Tunc *Petrus* iubetur, iracundo poſito ferro, induere manſuetudinem, & charitatem arma Pontificum. Quis nunc horrendi certaminis laborem vocibus æquabit aut lacrimis! Quo ſacerdotum rabies, & miniſtrorum, furor plebis, militumque, Iudæorum iræ, ac Romanotum, populi, gentes, *Præſides*, Reges conuenientes in vnum Chriſtum Domini pugnant? Quem ſui quidem aut produnt, aut deſerunt, aut noſſe abne-

ne-

negant, aut è longinquo lamentis muliebribus proſequuntur. Quis explicet ludibriorum veluti ſagittarum procellas offuſas? quis colaphos depalmationes & ſputa, perpetua iaculatione coniecta? Quis inflictam corpori acerbitatem innumerabilium plagarum? aut crudelibus dumorum aculeis tranſfixum caput, pedes, manuſque ferro crudeliori tranſuerberatas? aut intimis quoque ſenſibus per amaros liquores illata bella, & in extincti latus lancea ſæuitum? Ipſo (quis credat) cœleſti Patre debita hominum ſceleribus tela in filium, quia factum in ſimilitudinem hominis, detorquente. *Dum* propugnator hic ad ſaluandum obſtantia omnia ſolus inſui amoris furore conculcat. Carnis infirmitate mortalis, tamquam maxilla iumenti tartareos conficit Philiſtæos: *Stygium* gigantem baculo crucis, & quinque plagis pro lapidibus adortus, impacta in frontem ſalutis petra proſternit: nec octingentos impete vno; ſed vniuerſos hoſtes *Dauide* fortior profligat, eodemque mitior, ferendo ferientes, parcendo non parcentes vlciſcitur,

inijcientibus catenas auditum, latus transfigentibus viſum, conuiciatoribus veniam, crucifixoribus gratiam, latroni ingerit gloriam. Donec poſt tertiam aciem tormentorum ſuperatam, cum brachia ſua velut arcum æreum extendiſſet in cruce, iam lacera, diſſipataque lorica mortalitatis, cruentus membris omnibus Dei filius conſummatum bellum vociferans, & reformatum per Dei patientiam hominem, quem formauerat per potentiam, ad ſe vltimam aduocat mortem, quam ſuo occidat occaſu. Et inclinato capite aduerſus Tartara ſcilicet, Orbe iam victo, eò ſpiritum emiſit triumphatorem. Monſtrato nobis exemplo Chriſtianæ ſub crucis vexillo militiæ: in qua ferendo certatur, ignoſcendo vincitur, moriendo triumphatur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

IN DEI MORTE

RERVM FVTVRARVM ADVMBRATIO

ORATIO

HABITA DIE PARASCEVES
in Sacello Pontificum Vaticano

AD VRBANVM VIII. P. M.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO

VNIGENITI Filij Dei mors B. P. Opus Domini fuit in medio annorum, præteritorum temporum figuras explicans, futurorum euentus adumbrans, compendioſa nota, & verbum verè abbreuiatum, in vulnerum hieroglyphicis continens vtriuſque Teſtamenti, & omnium ſeculorum hiſtoriam. Tanti erat Deum pati, ac mori: vt diuinos labores tam ætas, quæ præceſſerat, quàm conſecutura ſentiret; & ex Dauidico oraculo, in Chriſti manibus à cruce extenſis, deſcriptas ſortes ſuas legeret mundus. Sed quoniam Synagogæ ſecreta omnia, velo templi diſciſſo in Chriſti morte patuerunt: liceat nobis in ſanctiora Eccleſiæ arcana per lacerum velamen diuinæ carnis intrare, vt eius vitam, laboreſque ad oc-

ca-

rum, ſecundus à Prin. cipe. Neque enim Ti. bi ea felicitas, an ca. lamitas? contigit quæ nonnullis, vt vix poſita puerili bulla ſceptra capeſſerent, & ignari regendi ſui, regimen ca. perent populorum, di- ſcerentque non ſine malo publico errando ſapere. Sed in ipſo ro. bore ætatis, & rationis ty.

tyrocinium purpuratæ dignitatis ponere iuſſus in patria per aſſertas iu. ris prudentiæ theſes, meritamque lauream , apud nos in humili ſa- cerdotis honore, orna- tuque , cum pijs exer. citationibus interius animi regnum conſta- biliſſes, pedetentim ad artem artium ſcientiam Imperatoriam acceſſi-

ſti

Digitized by Google

ſti, & in conſortium principalium curarum poſt biennium Pontifi. catus exactum admiſ. ſus es. Hinc illa rerum par moli prudentiæ maturitas, capax arcani pectus, plus cordis ha. bens, quàm oris facun. dia, cum ſtudio recti, & comitate, qua beneuo. lentiæ populi ac mini- ſtrorum indulges ma.

gni

Digitized by Google

Digitized by Google

gnitudinis Tuæ ſecu.
rus; cœteræque eximiæ
laudes,quibus, vt natu.
ra Patrui Pontificis in.
dolem, ſic virtutem
imitando expreſſiſti.
Vale.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TRIVMPHALE CERTAMEN PATIENTIS DEI.

ORATIO

HABITA DIE PARASCEVES

in Sacello Pontificum Vaticano

AD ALEXANDRVM VII.

Pont. Opt. Max.

ORATIO.

BELLVM exponam, B. P. Dei ſanguine fœdum ſimul, ac ſplendidum, lugubre, lætum, aſſerta mortalium generi vita, & victoria, per necem immeritam Domini conditoris. Bellum infeſtum non minùs ab amicorum oſculis, quàm hoſtium telis, perinde ſanguinolentum inteſtina ſeditione, ac marte externo. Inchoatum quidem ante quatuor, & triginta annos à Dei filio pro lorica cilicium mortalitatis induto, ſed hodie demum in Iudæa, magnis vtrinque viribus, maioribus animis, maximis hinc vitijs, hinc virtutibus decertatum. non ſine ſenſu rerum vniuerſitatis Opifici ſuo collaborantis. Cum tremore terrarum, trepidatione mortuorum, colliſione montium, pallore ſiderum. Certaminis magnitudini pares exitus. Vindica-

dicatum in libertatem genus humanum, alia euerſa regna, alia fundata, Synagogæ Pontificatus abrogatus, Eccleſiæ traditus, noua ſacramenta, nouæ leges, noui propemodum homines. Nec expertes commotionis tantæ, prout ſtetere in partibus ſuperi, aut inferi. Mors domita, peccatum extinctum, Lucifer catenatus, de manubijs Erebi Cœli triumphus. Belli oppoſitæ cauſæ: in altera parte amor, in altera odium. Chriſti charitas erga hominem, quem condiderat, quem aſſumpſerat, profuſa vſque ad exinanitionem ſui. Iudæorum odium in veritatem ex conſcientia ſcelerum, inuidia miraculorum, metu amittendi principatus furens, vſque ad excidium Dei. Principium à domeſtica fraude, auaritia diſcipuli ad venumdandum Chriſti ſanguinem erupit, quem ſacerdotum iniquitas emit, vt funderet. Amicus particeps conſilii, & menſæ, altaris, ac templi participes ſacerdotes conſpirarunt ad perimendum Dei filium, & peremerunt. Neque hi tamen ardentiùs cupiunt Deum perdere, quàm Deus pro his perire. Suprema cœna teſtis! de ſi-

de-

derio deſiderata, vt in menſa cruentiſſimum prœlium adumbraret ſui corporis, & ſanguinis veritate. Teſtes Gethſemani deliciæ ciuilis horrore belli funeſtatæ. vbi affectus animi milites tumultuantes, abnuenteſq; certamen cum exercitu cruciamentorum, victoriam non incruentam ceſſere charitati. Quanta erit atrocitas prœlij, cui prœlijs proluditur! Cuius imago vel inter pocula, meditatio vel inter flores, ſanguine redundauit. Iam verò ſuorum excubiis excitatis aduerſus hoſtem graditur Imperator in ſtola ſua venarum murice colorata formoſus. Prima quaſi miſſilibus pugna velitaris oſculatione peragitur, hinc virulenta proditoris odio, hinc mellea prodi gaudentis charitate. Placebat Cæſari proditio aliena non proditor. Chriſtus qui proditur, nec proditio nem refugit nobis profuturam, & amat proditorem. Amici teſſera, & nomine ſuſcipit olim commilitonem, nunc tranſfugam, bellum ordientem à ſigno pacis, & per arma beneuolentiæ odiis militantem. Amantis Chriſti iaculum per os Iudæ ad vitalia cordis deſcenderat, & ò

bea-

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

beatum! ſi vulnus excipere maluiſſet. Infelix! vinci, non meruit. Aduerſus amoris tela contumax, terribili vocis fulmine cum ſociis militibus arietatur in terram. Bene habet, confectum eſt bellum. Stante inermi victore, reſupinati iacent hoſtes armati. Sed triumphum canimus ante victoriam, dum victorem Chriſtum dicimus ante mortem. Mundo ſalutem, triumphos Filio cæde venales propoſuit Pater. Mutatur igitur forma bellandi, pro aureis Diuinitatis armis, in fragili hominis natura congreditur; laxata tenebris poteſtate, vt quidquid malorum odia Dæmonum, hominumq; congerent, ex amore patiatur Deus. Tunc Petrus iubetur, iracundo poſito ferro, induere manſuetudinem, & charitatem arma Pontificum. Quis nunc horrendi certaminis laborem vocibus æquabit aut lacrimis! Quo ſacerdotum rabies, & miniſtrorum, furor plebis, militumque, Iudæorum iræ, ac Romanorum, populi, gentes, Præſides, Reges conuenientes in vnum Chriſtum Domini pugnant? Quem ſui quidem aut produnt, aut deſerunt, aut noſſe abne-

negant, aut è longinquo lamentis muliebribus proſequuntur. Quis explicet ludibriorum veluti ſagittarum procellas offuſas? quis colaphos depalmationes & ſputa, perpetua iaculatione coniȩcta? Quis inflictam corpori acerbitatem innumerabilium plagarum? aut crudelibus dumorum aculeis tranſfixum caput; pedes, manuſque ferro crudeliori tranſuerberatas? aut intimis quoque ſenſibus per amaros liquores illata bella, & in extincti latus lancea ſæuitum? Ipſo (quis credat) cœleſti Patre debita hominum ſceleribus tela in filium, quia factum in ſimilitudinem hominis, detorquente. *D*um propugnator hic ad ſaluandum obſtantia omnia ſolus inſui amoris furore conculcat. Carnis infirmitate mortalis, tamquam maxilla iumenti tartareos conficit Philiſtæos: *S*tygium gigantem baculo crucis, & quinque plagis pro lapidibus adortus, impacta in frontem ſalutis petra proſternit: nec octingentos impete vno, ſed vniuerſos hoſtes *D*auide fortior profligat, eodemque mitior, ferendo ferientes, parcendo non parcentes vlciſcitur,

inijcientibus catenas auditum, latus transfigentibus viſum, conuiciatoribus veniam, crucifixoribus gratiam, latroni ingerit gloriam. *Donec* poſt tertiam aciem tormentorum ſuperatam, cum brachia ſua velut arcum æreum extendiſſet in cruce; iam lacera, diſſipataque lorica mortalitatis, cruentus membris omnibus Dei filius conſummatum bellum vociferans, & reformatum per Dei patientiam hominem, quem formauerat per potentiam, ad ſe vltimam aduocat mortem, quam ſuo occidat occaſu. Et inclinato capite aduerſus Tartara ſcilicet, Orbe iam victo, eò ſpiritum emiſit triumphatorem. Monſtrato nobis exemplo Chriſtianæ ſub crucis vexillo militiæ: in qua ferendo certatur, ignoſcendo vincitur, moriendo triumphatur.

BIBLIOTECA NA. ROMA VITTORIO EMAN.

IN DEI MORTE

RERVM FVTVRARVM ADVMBRATIO

ORATIO

HABITA DIE PARASCEVES
in Sacello Pontificum Vaticano

AD VRBANVM VIII. P. M.

ORATIO

VNIGENITI Filij Dei mors B. P. Opus Domini fuit in medio annorum, præteritorum temporum figuras explicans, futurorum euentus adumbrans, compendioſa nota, & verbum vere abbreuiatum, in vulnerum hieroglyphicis continens vtriuſque Teſtamenti, & omnium ſeculorum hiſtoriam. Tanti erat Deum pati, ac mori: vt diuinos labores tam ætas, quæ præceſſerat, quàm conſecutura ſentiret; & ex Dauidico oraculo, in Chriſti manibus à cruce extenſis, deſcriptas ſortes ſuas legeret mundus. Sed quoniam Synagogæ ſecreta omnia, velo templi diſciſſo in Chriſti morte patuerunt: liceat nobis in ſanctiora Eccleſiæ arcana per lacerum velamen diuinæ carnis intrare, vt eius vitam, laboreſque ad oc-

caſum vſque mundi deſcriptos in Dei patientis laboribus, ac morte contemplemur.

Suprema Chriſti Cœna, prima fuit rerum futurarum adumbratio; deſiderio deſiderata, vt in ea typicum Agnum ipſe comederet, imaginem mortis ſuæ: ſuum nobis Corpus, Sanguinemque epulandum traderet, pignus immortalitatis noſtræ. Bonus Imperator certamen initurus extremum, ſe, ſuoſque pane fortium, ſe ipſo, refecit; & in ipſis epulis quadam ſæuiſſimi belli pictura firmauit. Recognoſcere licet in hac Cœna primitiuas Chriſtianorum in fractione panis perſeuerantium menſas, in conſpectu eorum à Domino paratas, aduerſùs ingruentem ſæuitiem tyrannorum. Recognoſcimus quoque Cœnam magnam Regis cœleſtis: in qua nouum vinum, quod in hac promiſerat, ipſe miniſtrans, exhilarat triumphatricis Eccleſiæ agapas beatiores. A Cœna itur in hortum: ſed vtrobique clades imminentes adumbrat ſanguis; in Cœna efficacitate vocis transfuſus in poculum, in horto doloris vi profuſus in terram.

Hor-

Horrenda, & ipſa morte ſæuior mortis imago. Quis enim vidit vmquam ſola meditatione belli editam ſtragem? de vulneribus animi ſanguinem ſequi? & cum toti corpori præſens ſit animus, totum corpus animi gladijs, hoc eſt affectibus cruentari? Tœdio, triſtitia, pauore conficitur, rerum vigor, beatorum gaudium, martyrum fortitudo. Ita nè verò rebellium affectionum incurſu proſtratus in faciem ſuam vacationem rogat à morte Deus, qui Homo naſci voluit, vt mori poſſet? Sacrificij reformidat horam victima, quæ oblata eſt, quia ipſa voluit? Optante Paulo (exclamat Auguſtinus) optantibus Martyribus mortem, vnus Imperator perhorreſcit agonem, in quo miles exultat? An potius, erudiendis nobis, declarandiſque Eccleſiæ Sacramentis hæc tota ſcena ſeruiuit? Nempe qui mortalitatem noſtram ſuſceperat in aluo Virginis, in horto vocem quoq; noſtræ imbecillitatis accepit. Eccleſiæ itaq; metus, & Martyrum angores loquebatur vt ſuos, membrorumque potius fuit illa vox cenſenda, quàm capitis. Minus fortiter facere videri voluit, vt

amatius faceret; quamquam & amanter fecit, & fortiter, dum ex amore, timorem ſuſcepit ſpontè quem vinceret. Iam enim alacer ſurgens, ſe immittit in amplexus, atque oſculum Iudæ, nunc hoſtis, & proditoris, paulò ante conuiuæ. O ſacroſanctum amicitiæ nomen & iura! Parumne fuit delicatiſſimã, ſocialis vitæ pupillam, amicitiam violari, niſi etiam ſuis à telis pati vulnera cogeretur? Dum enim oſculi amabilitas ori diuino blandiebatur, fodiebat interea cor perſpecta paricidij, quod parabatur, atrocitas. Sed excuſationem habet, ſi neceſſariò beneuolentiæ armis abuſum eſt odium: putauit nec falsò, aliter quam ſub amoris ſpecie Deum capi non poſſe. Vtinã ſolus eſſes ò Iuda, tuumque oſculum ſingularis facinoris exemplum potius, quàm exemplar fuiſſet ſcelerum futurorum. Quoties Eccleſiæ Principes obſequij prætextu circumuenti, quoties inſidioſo pacis oſculo capti ſunt? Neque tamen in vincula coniectus Deus, obligatas ad benefacien dum vel hoſtibus manus habet. Aurem dexteram Malcho reſtituit, quo ſignificet,

cet, Iudeorum populo modò incircumciſis auribus tam ſurdaſtro, aurem fidei ſub mundi finem reddendam.

Hinc rapitur ad tribunalia iniquitatis, iudicanda iuſtitia, Quorum, vt ab vno diſcamus omnia, primum iudicium incipit ab iniuria. Dei Filio, quia rogatus teſtimonium perhibuit veritati, os ſacroſanctum verberatur manu, quam ipſe formauerat. At ore Diuino contuſo, non fuit retuſa libertas; quin & increpito percuſſore, conuictoque, ita vt obmuteſceret, dicta confirmaret; & tamen illati dedecoris gloria frueretur. Expreſſiſti hoc facto patientiſſime Martyrum Imperator milites tuos; qui loquentes in conſpectu Regum teſtimonia tua, quamuis alapis cœſi, non confundebantur: qui vinculis conſtricti, liberas retinebant voces, ſuoſque iudices damnati damnabant.

Ab Anna ducitur ad Caipham, à Caipha ſiſtitur Pilato, à quo mittitur ad Herodem, ab Herode reducitur ad Pilatum. Inter tot Iudices vnus Romanus inſontem miſereri viſus eſt, immiti miſericordia. Dum enim non iuſtitiæ ob-

ſequi, ſed per media conſilia, & iuſtum liberare, & impijs gratificari contendit: ignominiam, cum tormentis geminauit inſonti, ſed cruciatuum pretijs, crucem non redemit. Quàm multos Pilatus imitatores habuit, qui ne non fauere Cæſari viderentur, Chriſtianos laudauerunt vt iuſtos, torſerunt vt reos? Cum eſſet conſuetudo per diem feſtum vnum ex vinctis dimitti populis Chriſtum proponit, ac Barrabam: quo loco cum Dei filio miſerrimum ſit in comparationem venire cum latrone, quid erit vinci? Cum malè primus clementiæ actus ceſſiſſet Præſidi, flagellis atrociùs ſæuit, vt parcat. Deducitur in prætorium Chriſtus, vbi coram militibus denudatus, primam plagam accipit à pudore. Circumfuſi ſatellites, virginales carnes, virgis cruentant & diripiunt, tum catenis iam non membra, ſed excarnificatos artus, nudaſq; coſtas flagellant. Immune fuerat caput, quod vt dolore, ac ignominia transfigerent, ludibrium crudele ſpinoſi diadematis excogitarunt. Additur purpura, ſceptrum, genuflectentium obſequia, quæ in ſe Chriſtus per iocum admiſit, vt

ſucceſſores ſui ſeriò regnarent. Iam nil querimur nimis cruentas Eccleſiæ tuæ ſortes ò ſanguinum Sponſe, quando illas, tui Corporis & Capitis ſupplicijs adumbraſti. Nil querimur, ſi primo eius exortu (nam caſtigatio Eccleſiæ in matutinis flagrantiſſima fuit) ab omni terrarum parte congregata ſunt ſuper vnicam tuam ſæuiſſima flagella. Quod mare Martyrum non decolorauere cædes? Quæ caruit ora cruore chriſtiano? Nec poſtea vmquam à flagellis ceſſatum: quin ex Dauidico vaticinio tota huius ſæculi die in aliqua Mundi parte Eccleſia flagelletur. Nil querimur, ſi poſt flagella corporis, Eccleſiæ caput, tot ſchiſmatis, tot rebellium populorum ac Principum cõtumacia compunctum eſt; quandoquidem ſpinas Capiti figendo coronam ſtabiliere, ſpinoſam quidem tam grauibus humani generis curis, ſed cæleſtis ſanguinis aſperſione venerandam.

Cum inualeſcerent voces eorum, Pilatus priuſquam reum ſupplicio damnet extremo, omni abſoluit à crimine: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.

In hac ſchola didicerunt digni Pilatô Magiſtro diſcipuli, inſontes miſerari ſimul, & occidere, obſequium Dei arbitrari, ſi Deum violarent in ſanctis ſuis, flagitiorum abominari nomina, flagitia ipſa facere.

Ille autem baiulans ſibi crucem, quam in ſceptrum conuerteret poteſtatis, quam fixurus erat in frontibus Regum, exiuit in Caluariam, vbi ligno affixus in conſpectu populorum, vt illos trahat ad ſe ipſum, attollitur, ſummos dolores ignominia ſumma exæquante. Parum enim fuerat cum iniquis reputari iuſtitiæ Solem, niſi medius latronum ſtatueretur, quaſi vir nouiſſimus virorum, iniquitatis tantùm gereret principatum. Veſtimenta milites quadripartito diuiſerunt, nec ſine ſacramento, ſi credimus Auguſtino, quia Chriſti fides quatuor terrarum orbis partibus diſpertienda erat: tunicam inconſutilem non diuiſerunt, vt oſtenderetur eiuſdem fidei in omnibus mundi partibus vnitas, veſtis Catholicæ Eccleſiæ ſingularis, ab Ario aliiſque hæreticis lacerata ſæpius, ſed ſemper integra.

Qui

Qui ſequitur Chriſti vitæ actus extremus, mundi ſupremum notat occaſum: deſcriptam gerente Deo, in morte ſua, prodigijſque, futuram diuinæ mortis vltionem: Decuit enim Chriſtum non ſolum iudicij ſui mentionem crebrò ingerere cum iudicabatur: verum etiam magnæ illius diei imaginem in ipſa ſua cæde exhibere, vt in tanto generis humani crimine, tanta criminis pœna legeretur. Et quidem ſi magnarum vrbium excidio, exercituum cædes, atque imperiorum occaſus parentauere, quanto magis, interempto ab hominibus Deo, non Hieroſolymorum modò ruinis, Iudeorumque ſtragibus, ſed mundi, omniumque populorum interitu, iuſtè iuſta perſoluenda ſunt. Iam verò vt oſtendat ſol Auctorem ſuum pati, conuerſa in noctem meridie nunc obſcuratur: tunc obſcurabitur, vt oſtendat Mundi machinam diſſoluendam. Colliſione petrarum, ſciſſione montium, terrarum motibus, nunc Deo morienti natura funus celebrat: celebratura tunc ſibi. Inter ſuos, & vniuerſitatis angores Chriſtus, cum pro Beatorum gaudio, ſentiat

quod vltimum eſt in ſupplicijs, exclamat dolenter ad Patrem: exclamabit in afflictione dierum illorum Eccleſia: Deus Deus meus quare dereliquiſti me; in tantum ſe extollente homine peccati, vt in errorem inducantur ſi fieri poteſt etiam electi: nunc rogans pro tranſgreſſoribus cum clamore, & lachrymis Chriſtus exauditus eſt, cum reuerterentur percutientes pectora ſua: exaudientur tunc lachrymæ, ac gemitus in extremo agone luctantis Eccleſiæ, quoniam Iſrael reliquiæ ſaluæ fient. Apertis nunc monumentis, corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurgunt, vt in Caluariæ colle, damnatum videant de peccatis hominum Filium Dei: tunc apertis monumentis mortui reſurgent, vt in Caluariæ proxima valle Ioſaphat, vocem audiant Filij Dei hominum delicta damnantis. Parebit ſignum hominis in cœlo, & videbunt in quem transfixerunt, plangentes omnes tribus terræ: vt Longinus modò transfixo latere vidit, & cum cæteris confeſſus eſt Deum. Angeli pacis amarè nunc flentes, tunc vltionem acerbè minantes, pugnabunt cum orbe terra.

rarum contra inſenſatos. Quæ ſtabat iuxta Crucem Filij iudicati Mater: ſedebit iuxta ſolium iudicaturi. In geminis latronibus deſignati, ſtabunt reproborum populus à ſiniſtris, electorum à dextris, quorum illo ſua in damnatione reiecto, audiet hic beatam vocem; Hodie mecum eris in paradiſo. Tum demum perfecta generis humani redemptione copioſa, triumphatis plenè terrarum Principatibus, & Poteſtatibus tenebrarum, oraculis omnibus de Chriſti morte, de Mundi occaſu completis, audietur iterum atque vltimò; Conſummatum eſt. Dixi.

ORA-

IVBILAEVS PRIMVS
ET MAXIMVS
A CHRISTO PONTIFICE
CELEBRATVS

ORATIO
HABITA DIE PARASCEVES
ANNI IVBILÆI MDCL.
in Sacello Pontificum Vaticano

AD INNOCENTIVM X. P. M.

ORATIO

QVinquageſimus annus ſupra milleſimum ſexcenteſimum agitur B.P. ex quo futurorum bonorum Pontifex Chriſtus ſupremum inijt humanæ carnis Sacerdotium, vt per oſtium templi corporis ſui tormentorum malleis effractum, ac reſeratum, in ſancta æterna redemptione inuenta, & intraret ipſe; & per ipſum genus humanum; effuſiſque ex aperta laterali porta, cum aqua & ſanguine diuinæ indulgentiæ theſauris, Iubilæum primum, & maximum celebraret. Et quoniam de hac plenitudine omnes accepimus, anniuerſaria recurrente die, recolere libet exordia tantæ celebritatis, cuius imaginem prior ætas tulit, fructum omnis æternitas feret.

Appropinquantem ſalutis horam, diem placabilem redemptionis noſtræ, benignitatis ſuæ, per ſacros vates cæleſtis Curiæ præcones primùm indixerat, tum

ipſe Pontifex Chriſtus in Apoſtolorum Senatu promulgauerat euangelica illa conſtitutione, quæ incipit; Ecce aſcendimus Hieroſolymam: ſed apertiùs pridie quam pateretur, ſuper menſam feſtum illud ſabbati vere magni inter dapes & vina deſignauit? O cœnam ſumptuoſam,& plane Pontificalem! Cui non terra, ſed cœlum ſuggeſſit epulum mortalibus peregrinum, beatorum conuiuijs familiariſſimum, Deum. Vbi margaritum cæleſti rore in virginali mari concretum eliquatur in ſanguinem, & amantibus propinatur.

A cœna in hortum contendit, vt in loco delicti veteris, Pontifex oret pro peccatis: vbi vt infirmis ſciat compati, diſcit pati, circumdatus infirmitate; cumque miſericordia, in Deo ſine experimento miſeriæ, manca, & mutila videretur, vt fieret exaggeratè miſericors, euaſit ipſe miſerrimus, probatus per omnia vir dolorum. Factus in agonia, iam non preces ſolum pro delictis noſtris, ſed & ſacrificium offert corporis ſui, cruentos venarum latices, rubicundos vitæ ſuccos, ſanguinem cordis amore carnifice

cru-

crucifixi. ſic vſque ad mortem triſtis, ac dolens apparet Chriſtus, in veſte Pontificia, verè funebri ſibi, purpuratus. Iam verò vt Pontificem cum pompa deducant ſacerdotum, & militum turbæ circumſiſtunt. Sed in conſpectu Pontificiæ maieſtatis, proſternuntur in terram, ſæpius adorabundi, vel inuiti. Tunc pro magiſtro ruentem in ferrum Petrum, retinet Chriſtus, admonetque gladium citò deponere, non niſi ex neceſſitate breui tempore tractare arma, nec eccleſiam Dei regendam more caſtrorum. Siſtitur inde ſacerdotum concilio: vbi de doctrina interrogatus, reſpondere abnuit; nam prima ſedes à nemine iudicatur; & ſummus Pontifex ſoli cælo rationem doctrinæ debet, ac vitæ. Adiuratus tamen per Deum viuum, ſe Chriſtum eius, & verum Pontificem profitetur: quam reſponſionem dum criminari contendit ſummi Sacerdotis inuidia, confirmauit. Dilaceratis quippe contra fas legis veſtibus, Synagogæ Pontificatum abrogauit, ante nouo Eccleſiæ Pontifice iam deſignato. Et quoniam non ſine aliqua ignominiæ nota olim tam profana, quam ſacra poteſtas

teſtas

teſtas inaugurabatur; nam, & in electos Reges, & triumphatores probra ingerebantur, Chriſtus inter alapas ſputa, irriſiones, Rex, & Pontifex ſalutatur. Deinde ad Pilatum adducitur, & Herodem. Quorum ab altero Rex appellatus agnoſcit tituli veritatem, ex materno Dauidico genere, tot Regum ſucceſſor, ex paterno Deus. Ab altero veſte candida, hoc eſt Pontificia decoratur. O candoris diſparem ſortem! Quàm diſſimilis huius veſtis conditio fuit, ab illa glorioſa Taboris? Quamquã in illa Diuine Pontifex huic proludebas, de exceſſu loquens hanc cogitabas, in die bonorum, memor malorum. Quod ſi Reges coronandi inungi ſolent nõ in capite vt Pontifices, ſed in brachio, aut humeris, ad fortitudinem deſignandam: nudatus veſtibus, flagellis excarnificatus, cruore ſuo perungitur in Regem, fortiſſimus Nazarenus. Immo & Pontifex conſecratur. Nam quamuis non ita pridem à muliere eccleſiæ typo, fracto alabaſtro vnguenti, vnctus in capite fuiſſet Sanctus Sanctorum; tamen vt impleret legis iuſtitiam, exemplo Aaronis Pontificis à Moiſe

oleo

oleo & ſanguine conſecrati, cruore rurſus initiandus fuit, qui oleum effuſum gerit in nomine. Quin & ritu Romanorum. Apud Romanos enim non niſi ſanguine victimarum toto corpore adſperſi Pontifices conſecrabantur; hoc diſcrimine, quod illi taurum, aut vitulum immolabant, Chriſtus diuinam victimam litauit, illi alieno ſanguine culpas eluere falsò putabantur ſuas, ſuo Chriſtus verè expiauit alienas. Poſt vnctionem coronam accipit inſigne regium ac Pontificium: quæ ſpinis acutiſſimis infigitur capiti detrahenda nunquam, vt legi pareat de ſummo Sacerdote præcipienti caput ſuum non diſcooperiet. Nam, & profani flamines, nunquam ornamentum verticis exuebant. Verùm omnibus ita ordinatis Pontificia pompa procedit, cui parem ſecula non viderunt. Præcinentibus tubis, armatorum cateruis ad cuſtodiam Pontificis circumfuſis, deducente Sacerdotum & Principum comitatu, medius frequentiæ populorum ſummus Sacerdos Chriſtus, Pontificium ſceptrum baiulans crucem, ac ſuper humeros principatum, Caluariæ montem, ſuum Vatica-

ticanum aſcendit. Hic iteratis mallei percuſſionibus,in templo Diuini corporis oſtia ſalutis aperiuntur, æraria gratiarum, portæ æternitatis, erumpunt vnà cum ſanguine diuinæ indulgentiæ theſauri, aquæ redemptionis, ex ſontibus Saluatoris, annus oritur ſacer,& ſanctus, magnus Iubilæus procedere incipit, ordo ſeculorum inſtauratur, ligno crucis arietante ianua cælorum vim patitur, eleuantur portæ æternales, & introibit Rex Gloriæ. Quid commemorem plauſus vndique datos Pontifici negotium ſeculorum peragenti? Dicam multitudinis clamores, vociferationes ſacerdotum, militum fremitus, pœnitentium plangores pectorum, piorum luminum lacrymas? Dicam ſolutis doloribus inferni captiuos è carcere liberatos? an veniam crucifixoribus, & latroni Paradiſum erogatum? Dicam extinctos ad vitam corporis reuocatos? an animos à morte criminum reuiuiſcentes? lucem oculorum recipientem militem? an lumen fidei aſpicientes incredulos? terræ motum,colliſioneſque ſaxorum bombardarum ſonitum imitantes? an pro

vna ſolis face, in diurno cælo, mille ſyderum feſtos ignes accenſos die Iubilæi planè feſtiuo, & lætitiæ cordis ſui, quandoquidem eſt magna Deo feſtiuitas mundi ſalus? In tanto motu cæleſtium, terreſtrium, & inferorum, nos quoque illi Beatiſſimæ Maieſtati gaudium addamus, & coronam, feſtinantes ingredi in ſancta poſt Pontificem noſtrum, qui dum Iubilæum per lateralem ſanctiſſimam portam effudit iu terras, per eamdem genus humanum ſibi commiſſum inducit in Cœlum. Dixi.

Digitized by Google

ORATIO
IN FVNERE
FERDINANDI III.
IMPERATORIS
AD
ALEXANDRVM VII.
PONT. OPT. MAX.

Habita in ſacello Pontificum Quirinali.

Digitized by Google

ORATIO.

VNIVERSO mortalium generi flebiles magni Principes occidunt B P. quorum ſpiritus anima eſt, & vita regnorum: ſed ij ſunt cæteris flebiliores, quorum interitum populi non lacrymis proſequuntur, ſed ſanguine, nec tam concuſſa ſingultibus pectora, corda laxata ſuſpirijs, quam nutantia terroribus regna, quaſſatæ tumultibus vrbes excipiunt. Cum itaque Ferdinandum III. Imperatorem inter inſignes pietate ac fortitudine Cæſares memorandum, Orbi nuper Chriſtiano Cœlum inuiderit, non ſolum in eius obitu, tamquam in occaſu ſyderum Principis, omnia Europæ regna, quæ Auguſtus Auſtriaci ſanguinis fulgor illuminat, pullo amictu ſordidata inumbrantur, & ſqualent; verùm etiam Romani ſalus Imperij, quæ ſacro illo ore

 pen-

pendebat, pax gentium, ſi vnquàm aliàs incerta, & fluctuans, ſpes noſtræ compreſſæ metu, gaudia dolore fœdata, per exequialia iuſta, per funebres laudes, euerſam Eccleſiæ columnam, Propugnatorem extinctum requirunt. Sed quoniam in tanta decorum copia ſingula perſequi per temporis anguſtias non licet, ad formam, ideamque Principis reuocabo vniuerſa, non illam à Græco Hiſtorico fabulosè depictam in Rege Perſarum, ſed quam Diuinus orator ſacris expreſſit in litteris, elogio ſanctioris Cyri, Dauidis: *Dauid ſciens pſallere cythara, cum leonibus luſit, quaſi cum agnis.*

Hæ geminæ Regalis animi dotes vulgo Principum eximunt Ferdinandum Cæſarem, qui, & lyram diſciplinarum, virtutumque chordis intentam ſapienter pulſare didicit, & leones, hoc eſt, obluctantis fortunæ aſpera, per ludum & iocum inuadere. qui Palladi ſapientiæ Deæ litauit, ſed armatæ, qui facturus argumenta ſcriptoribus, animi prudens, manu fortis Vlyſſem miſcuit, & Achillem. aut ſi ſpirare fas eſt altiùs,

cum

cum Salomone Samſonem.

Vt à fidium grauiſſima ordiamur, Religio hereditaria Auſtriadum virtus, quatuordecim huc vſque Cæſarum laureis, & Orientis, Occidentiſque Solis diadematis remunerata de Cælo, Ferdinandi pueritiam aluit, adoleſcentiam coluit ſub Auguſto Genitore Ferdinando II., robuſta virilitatis comes, vergente in ſenium ætate, iuuenilibus incrementis effloruit. Non cõmemoro orandi ſtudium, quo mane arbitro regnorũ Deo rationem Imperij reddebat non minùs accuratè, quam ipſe ab adminiſtris exigeret. Omitto bina quotidie ſacra, quibus in tanta negotiorum mole, dum per valetudinem licebat, intererat. Indulſerat ea videlicet, diuiſeratque ex æquo inter geminas Auguſtas, quæ Cęſarei conſortia thori interuentu mortis abruperant. Non dicam, quanta pietate ter, ac ſæpius in ſingulos menſes, ad cœleſte conuiuium accederet, aulicis, ac familiaribus addito per exẽpla inuitamento ne, an neceſſitate? Sed alia omittere magis fructuoſa non debeo, quæ vulgi expoſita oculis ad imi-

tationem populos accendebant. Quoties ſupplicatio ſolemnis haberetur, maximam pompæ partem ſe adiunxiſſe Cæſarem, brachio precatorijs Virginis globulis coronato magis, quàm augusto paludamento, ac diademate gloriantem. Quoties excitandæ fidelium pietati nouum ſodalitium inſtitueretur, Cæſarem primum dediſſe nomen, Principis factum, Regibus filijs, aula, proceribus, populo imitaturis. Quoties inſignius feſtum celebraretur, præſertim ſanctioris hebdomadæ diebus, Ferdinandum peditem templa religioſiſſimè obijſſe, Cæſareæ maieſtatis oblitũ, dum labores Diuinæ recolebat. Quin exornando Chriſti ſepulcro non ſemel imperatorias commodaſſe manus, ſeptemque horas adſtitiſſe apparitoris in morem, cum diuinorum cruciatuum elogia, quæ ipſe met compoſuerat, delicatiſſimis modulis concinerentur. Feriâ verò quintâ Seruatoris exẽplo duodenis ad menſam pauperibus miniſtraſſe, vt oſtenderet Cæſaris eſſe, quanto ſupra homines altiùs dignitate, tanto Deo propiùs imitatione ſe attollere. Ar-

chi-

chiduces pueros, inter quos Ferdinandum poſtea Romanorum Regem, & Mariam Hiſpaniarum Reginam, iuſſos, ad aras operati ſacerdotis veſtibus imperatoria oſcula porrigere, vt iam tum aſſueſcerent, regia diademata apici ſacerdotali ſubmittere. At illud non ne centeno ore eſt prædicandum, quòd Pragam in curru cum Leopoldo filio Hungariæ Rege cum veheretur, obuiũque habuiſſet ſacerdotem diuiniſſimũ Chriſti corpus geſtantem, ambo è curru in lutulentum ſolum exilientes, auitæ pietatis documenta renouarunt? Quid? An minus memoranda erga auguſtiſſimam Dei parentem obſequia? Cuius immaculatæ conceptioni Viennenſi, & Pragenſi in foro columnam erexit per inſcripta ſolemnia verba, in clientêlam Virgini regnis omnibus cõmendatis. cenſumque liberaliter attribuit, vt octauo quoque die, laudes Virginales muſicis cantionibus celebrarentur.

Poſt religionis cantum, ſi celeri orationis excurſu aliarum virtutum fides tentare libeat, quid illæ putatis reſona-

bunt? Prudentiæ tranquillam, & in occaſiones erectam maturitatem, per quam ſuccumbentibus fortunæ cæteris, non ſuccumbens, facilem explicatum rebus difficillimis inueniebat. Ita vt approbationem, plauſumque non ciuium modò, ſed hoſtium quoque mereretur. In facta, mores miniſtrorum intentus, negotioſas epiſtolas ipſe perlegens, neque calumniantibus alios, neque ſibi blandientibus obnoxius; cum indecorum cenſeret Principi, ſeruire ſeruientibus. Reſonabunt honeſtatis, & conſcientiæ curam, ad quam deliberationum primas dirigebat, famæ ſecurus. Haud ignarus bonæ conſcientiæ comitem accedere bonam famā, Principum cynoſuram. Quam ſi obſcurare conaretur inuidia, lapides clamaturos: non minùs quàm ex aduerſo, conuiciātium hirundinum indicio, Beſſus occulti parricidij reus peractus dicitur. Reſonabunt prouidentiam, qua tam certas inpoſterum cogitationes immittebat, vt diuinare videretur. Hâc Leopoldum Archiducem nō minùs animo, & virtute, quàm ſanguine germanum

fra-

ſratrem, biennio ante quàm è viuis exccderet, reuocauit è Belgio, fulcimentum futurum teneritudini, atque orbitati Imperatoriæ ſtirpis; occaſione verò Suedicæ in Poloniam irruptionis, ingentes conflauit copias firmandæ Reipublicæ, ne poſt Auguſti Rectoris exceſſum in tranſitu rerum concuteretur. Reſonabunt inſtituendæ pueriles Archiducum ætatis diligentiam, quorum rudimentis lectiſſimos magiſtros cum admouiſſet, Leopoldo Hungariæ Regi altiſſimi ſpiritus adoleſcenti, vt regnandi artem vſu, & Cæſare magiſtro condiſceret, Sileſiam gubernandam tradidit. Cumque in homicidam nobilem ſententiâ capitis prolatâ, aduerſus procerum, ipſius demum parentis deprecationes immotum, iuſtitiæque tenacem experiretur, maturæ filij Regis virtuti, & felicitati populorum præ gaudio illacrimauit. At non tacebunt benignitatem, & manſuetudinem, qua tyrānicum illud execratus, oderint dum metuant: Aliud ſubſtituit paternum: ne metuant dum diligant. in diſſimulandis offenſis callidus, an veriùs condonandis? Vt

cum

cum literas proditorum, quas hoſtis legendas obtulerat, inſpicere recuſauit. Pompeij videlicet Magni factum in Hiſpanijs imitatus, maluit ſuos ciues, ex infidis fideles facere, cum fideles putaret, quàm vlciſci. Nimiamque facilitatem arguentibus reſpondebat: Hę ſunt Auſtriacæ artes: de malè merentibus bene mereri. Non omittent ſtudiũ ſalutis animarum; per quod in inſtauratione religionis Auſtriaca, & Bohemica Sacerdotibus palmam præripuit Imperator. Cum magnificẽtiùs gloriari poſſet quàm ille Neoceſareæ Antiſtes, Bohemiæ Regnum, quod hęreticũ magnam partem acceperat, ſucceſſori ſe totum catholicum relinquere. Quamquam prudentis Imperatoris quoque functus eſt munere, cum ſupremi Numinis cultum ſacerdotali ſtudio procuraret. Dum enim populorum obſequia conciliauit Deo, firmauit ſibi. Facile quippe eſt imperium in bonos: neque Regiam Maieſtatem vereri ſolent Diuinæ contemptores. Illaudatam non præteribunt liberalitatem, & magnificentiam planè Cæſaream, qua validas

in

in Hungaria, Bohemia, Morauia arces, munimenta belli, ſumptuoſa religioſis ordinibus templa, propugnacula religionis, atque ornamenta pacis, excitauit. Et quemadmodum martiales viros in caſtris, ita litteratos in Vrbibus, extra Germaniam quoque Romam vſque, ſtipendijs, donis, honoribus eſt proſequutus. Vſque ad Cælum attollent litteraturam in Principe bellis diſtricto, qualem in otioſo miraremur. Cum naturalium rerum, ac diuinarum, tum iuris vtriuſque peritiſſimus, aſtrorum, linguarum, antiquitatis cognitionem teneret, ethicen, politicen, mathematicas, muſicen præſertim, cuius dulcedine cum Homerico Achille, amara præliorum condiebat: vocare ſolitus artem muſicam conſortem militaris. Quod vtrique perturbatio, & confuſio inimiciſſimæ ſint, parque neceſſitas cuſtodiendi ordinis, ac diſciplinæ. Vna & eadem voce commendabunt incredibilem vim & capacitatem mentis Auguſtæ; qua ita litteras tractauit quaſi numquam arma, ſic arma, quaſi numquam litteras didiciſſet.

Ne-

Neque enim exiſtimare quemquam volo:Ferdinandi Cęſaris mentē huiuſce Dauidicæ lyræ concentu plus iuſto emollitam, ebriamque ſuauitate contēplatricis harmoniæ, ſapientiæ otia bellonæ mutare negotio, & cum leonibus congredi renuiſſe. Quin, vt olim ſolemne Spartiatis fuit, atque Cretenſibus, ad certamina tibias, & cytharas adhibere, vt ea præcentione partim bellicum ſonante,atque horridum,partim tranquillum, ac venerabile, & irritarent militum animos, & temperarēt, quò generosè quidem, nec tamen immodicè ferocirent:ita ego hunc ſapientiæ cantum ad leones inuadendos, hoc eſt periculorum aſpera, & dura bellorum Ferdinãdo Cęſari ſtimulos admonuiſſe cum ratione quidem, modoque crediderim. Si videlicet cauſa Religionis ageretur,pro qua cum glorioſæ ſint clades, quid erunt triumphi?

En aliud ex alio ſubnaſcitur.trophęa ſtragibus ſupereriguntur. Dignum Cœlo,terriſque ſpectaculum,Ferdinandus cum fortuna luctator, & victor. Quæ licet in vita mortalium vtramque

paginam facere ſoleat, læta triſtibus intermiſcens, nunquam tamen Ferdinandum III. indulgentiùs habere viſa eſt, ſed perpetuam materiem certaminum præbens illud egit, vt fortunæ nihil, vniuerſa virtuti deberet. Adoleſcentiâ vix egreſſum ſapientiſſimo Genitore orbauit, bellis grauiſſimis implicatum; in quibus neſcio, an pluries cum hoſtium acie, quam cum aliquorum infidelitate commiſerit; vigilijs hauſit, laboribus torſit, periculis fatigauit, coniugum Auguſtarum, Archiducum infantium, iuueniſque Cæſaris multiplicatis funeribus afflixit; neque vitæ parcens extremæ, in morti iam proximum debacchata eſt, ſuſcitato Cęſareæ domus nocturno incendio, quod vt properè vitarent cum Auguſta regnante parui Archiduces, morientis Patris cubiculum fugæ tumultu compleuerunt. Cum tot quidem tentamentis nil aliud ſors profecerit, quàm vt exercitatione diuturna tranſiret in naturam labor, callum obduceret inuicta patientia, & ad palmam feſtinaret inueterata conſuetudo vincendi.

Poſt cruentum Sueciæ Regis exitũ, aliamque Vallenſtenij tragœdiam, impoſitus militaribus copijs Ferdinãdus, initia rerum gerendarum à Ratiſponæ expugnatione fecerat, qua ipſa die Saxonum, Suecorũque in Bohemia exercitus Pragæ mœnibus repellebantur: cum ecce tibi noui hoſtes, nouæ legiones, Ducibus Vimario, & Horno, ſpirantibus Guſtaui reliquijs, & ambo Ferdinandi Germanicus, & Hiſpanicus, flores Principum, dum iunctis exercitibus Nordlingam obſident, obſidentur. Sed vbi obſidionem ferro diſſoluerant, repoſita Suecis clade Tillianæ non impari, recuperatis vrbibus, ac prouincijs, pace firmata cum Saxone, Ferdinandus Rex Romanorum eligitur. Tunc erepto rebus humanis Genitore, Bannerius è Suecia incendiũ belli Germanici reparat, Electorem Saxoniæ atrocior hoſtis, quòd antea amicus inuadit, ac Torga vrbe ſubita vi oppreſſa, Lipſiam oppugnat. Verùm aduolantibus in ſubſidium cum Electore Cęſareis Ducibus, & legionibus, è Lipſia Torgam retrocedere cogitur, è Torga in Marchiam

chiam Brandeburgicam, hinc in Pomeraniam, in extremum denique Balthici maris angulum, tribuſque arcibus reliquias potentiæ Suedicæ in Germania ſuſtentare. Huc aduectis pecuniȩ, frumenti, militum ſupplementis, veluti ſerpens renouata iuuentute ferox erumpit; tum Cȩſareas copias inopiâ ſtipendij, & annonæ laborantes, ad transfugia crebra, dein fugam in Bohemiam vſque compellit. Dum per idem tempus in Vveſtphalia Palatini fratres, Meppena vrbe in ſedem belli delecta, terrorem latè ſpargunt, auro Britannico, Hollandico milite potentes. Quorum altero exercitu, & caſtris, altero etiam libertate per Hazfeldium exuto, & Vimarienſibus ad Renfeldam fuſis, Romanum reſpirabat Imperium: niſi Cȩſariani Duces victoriæ ſecuritatem, occaſionem cladis habuiſſent. Inopinantes oppreſſi, captique, dein Briſacum oppugnatum, & expugnatum. Quibus rebus vt occurreret Cȩſar, exquiſitis delectibus per hereditarias prouincias imperatis, Leopoldum Archiducem fortiſſimum fratrem legionibus præficit.

Qui

Qui per Octauium Piccolomineum Schlangio cum flore equitatus Suedici circumuento, deditionemque facere coacto, Bannerium è Boemia expulsũ, in fugam precipitauit, & mortem. Sed cum ſucceſſor Dorſtenſonius fortunam partium reparaſſet, in Daniam conuerſa repente Suecorum arma ſpatium dedere Auſtriacis, vt aliquot Morauiæ, ac Sileſiæ oppidis receptis, Olomucium obſiderent. Tunc Tranſiluaniæ Princeps cum ſeptuaginta millibus bellatorum in Hungariam vltor inſurrexit. Quem dum armis otium, & fœdus repetere cogit Imperator, è Dania redux improuisò Dorſthenſonius, Cęſareorũ Ducum alios cædit, alios fugat, Olomucium liberat, Brunam oppugnat. In cuius arcis obſidione diuturna, & irrita, cum plus militũ, quàm in iuſto prœlio perdidiſſet, quaſi reflantem ſortem timens, militiæ prefecturam abdicauit. Cum interim omni fortuna maior Ferdinandus, refectis copijs, ducibuſque, bellum vrgeret. Poſt varias tandem vices alternatas: poſt Lindauium ab Vrãgelio tentatum, & omiſſum: poſt inducias

cias Bauaricas cum Suecis compoſitas, & diſſolutas: Pragenſis vrbis parte vna dolo intercepta, duabus alijs virtute Innocentij de Comitibus defenſis: inclinauit ad quietiora conſilia Cæſareus animus, vt Ferdinando filio Hungariæ ac Bohemiæ Regi diadema Romanorum ſecurus traderet. Voto potitus: Iuuenem, & Cæſarem excelſiſſimum, in illo flore annorum, & rerum paucorũ dierum morbo conſumptum extulit. Heu ſpes fragiles, & irrita vota regnãtium! Tot fluminibus ſanguinis, tot pecuniarum aceruis, tantis bellorum, & pacis impendijs quæſitum filio Imperium momento cum vita eripitur. At quo animo pertulit Pater tantam Auſtriæ cladem omnibus exercituum ſtragibus Germaniæ grauiorem? Recuſantes aulicos edere triſtiſſimum nunciũ, ipſe præſaga mali mente inſtigat, ſollicitat, animos facit, exceptoq; tandem ab ore Confeſſarij fulmine, ad quod Europa cohorruit, nihil mutata ſerenitate frontis, paululùm penetrale Auguſtæ mentis ingreſſus emiſit hęc verba: Diuinę Maieſtati explorata ſunt ſua

conſilia. Quid filio meo fieri,& quare placuerit. Quod ad Ferdinandum Cæſarem attinet genuerat moriturum. O conſtantiam inuictam! O'pectus adamante loricatum, ſed cæleſti! Vnde enim Philoſophia tam alta deſcendit? Hoc eſt virtutum omnium chordas tãgere,& imitatione Dauidica cum leonibus ludere. Quamqua in vno, Dauide maior Ferdinandus. Quod ille amiſit,& fleuit filium parricidam: Ferdinandus amiſit innocentem, nec fleuit.

Fuerunt igitur fortunæ damna tanti; quibus, niſi conflictatus fuiſſet Ferdinandus, doctus, prudens, pius, hoc eſt animi lyræ tractandæ peritus extitiſſet; ſed leonum inuaſorem, experientem laborum, belli malis inuictum metuentem neminem, metuendum omnibus non haberemus. At quid imprudens habere nos dixi, quem amiſsũ hodie lugemus? Deſenſorem Germaniæ, terrorem Hæreticorum, Catholicorum amorem, belli fulmen, ornamentum pacis, religionis, conſtantiæ, prudentiæ, liberalitatis exemplum, huius Apoſtolicæ Sedis, cui ſemper ob

ſe-

ſequentiſſimum filium ſe geſſit, propugnaculum. Quamquam, & amiſimus, & habemus, meliore ſui parte regnantem inter Cœlites maiores ſuos; dũ in terris fama ſuperſtes, & gloria viuit, viuetque in LEOPOLDO tam virtutum, quàm regnorum herede filio FERDINANDVS III. Auſtriacus Cæſar, ſciens pſallere virtutum cythara, & cum leonum, hoc eſt bellorum, fortiſq: aſperitatibus ludere. Dixi.

Laudatio Funebris

VLADISLAI IV.

POLONIAE

AC

SVECIAE

REGIS

Habita in Sacello Pontificium Quirinali

AD S. D. N.

INNOCENTIVM

X.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

LAVDATIO

SI qua ſunt funera, quæ cum lacrymas irritent magis, minus lacrymis proſequi deceat B.P. has eſſe cenſeo clarorum Principum mortes, qui propugnata Religione, ac Republica in terris, abeuntes in Cœlum, ſecum amores humani generis abſtulerunt. Quorſum enim lætiſſimam illorum ſortem noſtro mœrore, lacrymiſque minuimus, quorum meliorem partem animum ſua immortalitas excipit, altera deteriore corporis viuendo iam feſsà Mauſoleis in longiſſimam quietem tradita, amborum vices obitura fama conſurgit, eò viuacior, quòd neque inuidiæ morſum timet poſt facta tandem quieſcentis, & deſiderio animatur populnrum, qui monumentis, imaginibus, laudationibus, bonos Principes inſatiabiliter requirunt. Quamobrem cum Vladislaum Poloniæ, ac Sueciæ Regem clariſſimis noſtræ Religionis Impera-

peratoribus, & Regibus coæquandum nuper Chriſtianus orbis amiſerit, errat longiſſimè ſi quis illi ſepulchrales pompas adornat, & luctus, non etiam gratulationes, & plauſus, aut funus, ac leſſum potius, quam pæanas concinit, & triumphos.

In quo Principe cùm duo notanda ſint tempora, alterum Regni, alterum quo priuatus priuato maiorem egit ſub Sigiſmundi Patris auſpicijs: vtroque tempore Vladislaum tàm diſſimiles partes, tàm egregiè ſuſtinuiſſe confirmo, vt & appetendus purpuræ videretur, priuſquam regnaret, neque meliorem votis optari poſſe iudicarent, vbi imperauit, ingentem aduerſariam expectationem populorum, quam æquare arduum eſt, ſuperante virtute.

Magna commendatio eſſe ſolet heroibus ad ſceptra deſtinatis naſci de Regibus. Quamuis enim virtus moderetur regna non ſanguis, in regio tamen ſanguine virtus, & pulchrior ſoboleſcit, & fortior. Sed quis Vladislao Rege ſplendore natalium clarior, cuius paterna, & auita decora ſi requiras, numeroſum ordi-

ordinem Ducum recenſet, ac Regum, & præſertim ſacrum Polonis Iagellonùm ſanguinem ab auia Catharina Sigiſmundi Primi filia deductum: ſi Maternam Auſtriaci generis claritatem deſideres, Archiducum, & Cæſarum Senatum adiungit: ſin cœleſtem virtutis progeniem cenſere malis, affert in Henricis,& Brigittis in Heduigis, & Caſimiris,& Rodulphis inuocatam templis, & altaribus ſanctitatem. Vt ſileam par Auguſtiſſimum Coniugum, Patrem Sigiſmundum, & Annam Auſtriacam Matrem: Illum tam religioſum fidei cultorem, vt ſacerdotem agere inter Reges videretur, propugnatorem tam aſſiduum, vt quinque ſupra quadraginta regni annis nunquam exuta lorica Moſchicum ſchiſma, Mehemeticam ſuperſtitionem, prauitatem Hæreticam, victoriarum numero, & multitudine obruerit: Hanc Ferdinandi Secundi ſororem, in quo nomine virtus triumphat, modò in pauperes tam indulgenter effuſam, vt ſæpè duodenis ad menſam Seruatoris exemplo regalia manciparet obſequia: modò ſexum egreſſam magiſtralibus curis, cum puel-

larum

larum gregi ſidei elementa tradens ad concinendas Dei laudes voce præiret, & crucis ſiguram in telis manu tenera pollice ductore ſormaret.

Sed iniuria fuerit Vladislai virtutum, parentum, vel auorum gloriam in eius laudatione commemorare, qui transfuſos in ſe vnà cum ſanguine omnes Gothorum Regum ſpiritus, & Iagellonios, & Auſtriacos repræſentaret, maioribus ſuis maiorem quam acceperat lucem refundens; quam luculenter illius flammæ prodigium adumbraſſe videatur, quæ velut olim Magni Macedonis ortum incendio Epheſini templi, ita Poloni Principis natalem noctem regij conflagratione palatij in Vrbe Cracouia Regni Principe illuminauit. Nec defuere pro ſyderibus cœleſtes arbitri genituræ. Nam Primi, & Feliciani fortiſſimorum Chriſti militum memoriæ poſtera lux conſecrata Vladislaum primum inter ſæculi ſui Reges virtute ac felicitatè futurum augurabatur. Grande indolis regnaturæ, documentum fuerit, quòd adoleſcens in Principem externæ, inimicæque nationi placuerit, Moſchis legatione ſolemni

lemni Vladiſlaum Magnum Moſchouiæ Ducem renunciantibus. Semper eſt magnum eligi in Principem, maius ab hoſtibus. Nam ſi exaggeratæ virtutis eum eſſe oportet, quem ciues ſuis imponere ceruicibus velint; quem hoſtes dominum non recuſant, Deo virtute accedere neceſſe eſt. Et ſanè Moſchua Regia Vrbe Polonis tradita, vniuerſa Regni nobilitate in Vladislai verba iurante, facilè Moſchouia in vnum Imperium cum Polonia coaluiſſet, ſi coagmentatio iſta Regnorum ſeriò Polonæ Reipublicæ placeret. Sed timuit prudentiſſimus Senatus magnitudinem ſuam, ne quemadmodum in animante, creſcente in immenſum corpore, vita decreſcit, ita è tot diuerſis, tamque diſcordibus fide, more, genioque nationibus conflatum vnum Reipublicæ corpus, malè vna legum anima regeretur. An edoctus fortunæ nimis obſecundanti non credere exemplo Romanæ Reipublicæ, cui ſublata æmula Vrbe, pro calamitate fuit ſumma fœlicitas, voluit ſupereſſe Poloniæ, Carthaginem, quam timeret? An ſui Regis filios optari, Principes ab exteris gen-

tibus glorioſum quidem Poloni putauerunt, ſed conducibilius, ſibi ſua firmamenta Regni, & ornamenta retinere? An Vladislao ipſi conſultum Superi voluere, ne feris gentibus, ſed hominibus imperaret? cum præſertim tantum bellicæ gloriæ, ſub illius auſpicijs, Poloniæ deſtinarent.

Oſmanem Turcarum Tyrannum, indole, ac iuuenta præferocem inſtigauerat in Poloniam Bethlemus Gabor Tranſyluaniæ Princeps iratus Sigiſmundo Regi, quòd Auſtriacis ſecum bellantibus, arma, & militem commodaſſet: quibus ab iniqua Hungarici Regni poſſeſſione detractus eſt, in quam ſe cupidiſſimè immiſerat, implicato Bohemicis turbis Ferdinando. Exacto inter apparatus, & meditamenta belli ſexennio, cum delectum omnibus vaſtiſſimi Imperij Prouincijs imperauiſſet, cum Aſia, atque Europa commeatum, & militem, peregrinas Africa belluas ad magnificentiam, terroremque ſubmitterent, ſeptingentorum millium militum molem in Poloniam Turca ſuperbiſſimus trahebat, magno Scytharum Chamo Dziamber

Ge-

Gereo, Othomano Imperatori ex ſedere militiam, & caſtra ſociante. Itaque inundatis peditatu, Equitatuque Moldauiæ, & Valachiæ campis, gementeque ſub bellico tormentorum apparatu *D*anubio, renouatæ de Xerſe, ac Perſis, de Tamburlane, ac Scythis fabuloſæ hiſtoriæ credebantur. Par magnis conatibus merces, occupare Poloniam, ad mare Balticum proferre imperium, & Germaniâ vndique circumclusâ, reliqua Europæ prona victoribus. Tanto motu concuſſus Chriſtianus orbis trepidabat, neque enim obſcurum erat, quid poſt tale bellum, & victoriam ſupereſſet; ſed fatali ſtupore torpens ſomniantis in morem, ad commune reſtinguendum incendium non accurrebat. Quin æmuli Principes, quaſi de Polonia eſſet actum, ad prædam feſtinabant: rapiebat Liuoniam Suecus, SmolensKum repetebat Moſchus, Tartarus Podoliam populabatur, Brandeburgicus armatus ad fines inſidiari tempori videbatur, Tranſiluanus tantæ procellæ concitator exultabat. O cæleſtem in ſummis malis Sigiſmundi fiduciam! O fortitudinem incre-

dibilem Vladiſlai! Ab omnibus Principibus deſerti, à maximis impugnati ſe non deſtituunt; quin Sigiſmundus Pater, dum centum ſeptuaginta Equitum millia in medio Regno cogens, cum omnibus hoſtibus terrore iam pugnat, Vladislaus filius cum à Pontificio legato vexillum conſecratum accepiſſet, in quo aureis inſcriptum litteris lemma, pro gloria crucis, pignus triumphorum legebatur, præcurrit ad fines, atque in extrema Moldauia Orienti Poloniam opponit. Quid hic ſperem exæquare dicendo, quæ delibare narrando vix licet? Vladislaum ceruicibus ſuis interclufam barbariam ſuſtinuiſſe, ſingulos penè Polonos in quinqnagenos Turcas, aut Scythas dimicaſſe; ruiſſe in ferrum Othomanæ militiæ florem prætorianos milites, prætores, duces, in oculis Imperatoris Oſmani, lacrymis luentis infelicitatem ſuam, luituri mox ſanguine, & regia in vrbe peracturi regali cæde tragœdiam. Sic exercituum, regum, imperiorumque funeribus conſtat laceſſita Polonia, Vladislao tantùm Duce, nondum Principe. Quis enim rerum huma-
narum

narum æſtimator mediocris, dum illud bellum, & quæ conſecuta ſunt ponderat, non intelligit Vladislaum longè grauiores clades Othomanis intuliſſe quàm vulgò videretur, cum ad Tiram diurnis, nocturniſque certaminibus Turcarum copias trucidaret? Neque enim ſolùm primus ferè Chriſtianorum Regum, potentiſſimum Tyrannum vinci poſſe docuit, non prælijs modo, ſed bello: verùm etiam Oſmane per ignominioſiſſimum fœdus in contemptum ſuorum adducto, occaſionem præbuit illis turbis, & exitiabili Prætorianorum militum defectioni, qua inſanabile vulnus Imperio Orientis impreſſum eſt. Grande quippe patuit arcanum hactenus illis gentibus, & militiæ, quæ obedientia magiſtra ſteterat, ignotum, poſſe Othomanum Imperatorem in vrbe Regia ſuis à militibus Imperio, vitaque ſpoliari. Quamobrem cum immania facinora imitatorem faciliùs quàm auctorem habeant, quin & imminuentibus paulatim horrorem exemplis, ipſa imitatione creſcant in maius, ad hoc opus trucidandi Conſtantinopolitani Principis, vti ſperare licet

crebro iam decurrent ij barbari, vt nos recentia formidabilis quondam Imperij mala Vladiſlao accepta referamus, & futura quoque cum extremo excidio aliquando poſteri ſint debituri.

Iam verò ſi Africæ, Europæ, atque Aſiæ viribus fultum Oſmanem Vladiſlaus longe minori exercitu ſuperauerat, profectò eumdem totius Poloniæ armis ſuccinctum Regem parem Orbi Terrarum fore augurabantur. Nec fàlsò. Nam qui priuatus quantælibet fortunæ capacem animum approbauerat, mox etiam regali faſtigio ſublimiorem repræſentauit. A morte Sigiſmundi Regis per comitia vacante ſolio, Moſchus, Turca, Suecus, velut è condicto in Poloniam conſurrexerant. Admotus gubernaculis Vladiſlaus conſilium ponit inter Duces, ecquis è tribus hoſtibus patriæ pernicioſior? Moſchus eſt viſus, qui centum ſupra ſeptuaginta bellatorum millibus, è quibus millia triginta è bellicoſiſſimis Europæ nationibus erant conducta, SmolensKum extremum Polonici Imperij ad Orientem propugnaculum obſidebat, & Belgicarum obſidionum in morem

rem

rem foſſis, aggeribus, & caſtellis circumuallatum, octoginta portentoſæ magnitudinis tormentis verberabat. Nec mora. Vladiſlaus reliqua Ducibus, Moſchouiam deſtinat ſibi. Quid in expeditione nobiliſſima potiſſimùm mirer, incertus pendeo; certant enim Vladiſlai laudes inter ſe, non minus quàm ille cum Moſchis, de Principatu. An fortitudinem, qua triplo minoribus copijs, prius pro ſoluenda SmolensKi obſidione, mox pro victoria dimicauit? An ſcientiam rei militaris, qua occupato per belli furta Alaudarum monte, & excitatis opportunè propugnaculis, obſtructiſque vijs ad prohibendos commeatus, hoſtes obſeſſores obſedit? An patientiam inuictam, qua plures menſes in regione, hyemeque perfrigida ita vt potanda flumina ſecuribus cæderentur, inque hoſtium oculis lacrymæ congelarent, Moſchos obſidere perſeuerauit? An patientiæ fructum, inauditæ victoriæ felicitatem, qua fame, ferroque domitos cedere compulit arma, impedimenta, omnia præter animas, & prouincias tres ingentes Polonico Imperio adiudicauit? An

magnanimitatem, qua vexilla deuictæ gentis ſubſterni voluit regalibus pedibus conculcanda? Ipſas verò hoſtiles legiones ante ſuum, & Sereniſſimi Principis Caſimiri conſpectum Polonico circum exercitu in ſignis armiſque fulgente traduci iuſſit ſilentibus tubis, & complicatis vexillis; tum inclinatis capitibus, elataque voce confiteri, miſericordiæ Regis debere ſe ſpiritum, vitamque, quam iure belli perdidiſſent? An denique benignitatem in ſuos? quando, vel deficientibus in bello faſcijs ad obliganda vulnera, ſudaria, & induſia regia diſtribuit, vel fortiſſimos Duces, qui re bene geſta vulnerati referebantur, in conſpectu ſuorum, & hoſtium eſt oſculatus: clementiam rurſus in hoſtes, dum arma, quæ vniuerſi ex fædere amiſerant, reſumi à Ducibus voluit remittens bellatoribus ignominiam morte grauiorem? Quamuis in hac laude regnatrix prudentia ſuam vindicet partem. Triumphatis quippe per vim corporibus hoſtium maluit animos humanitate ſubigere, haud ignarus inter victores ſuperbos, & victos contumelijs irritatos, nunquam

fidam

fidam pacem coaleſcere.

At ſi præclarum fuit Vladislao tanta victoria Moſchouiæ frænos inieciſſe, quid erit ſola victoriæ fama duo non minora bella Turcicum, & Suecicum profligaſſe? Nonne perfidus Turcarum Imperator Amurathes, qui paternæ cladis, & ignominiæ inuſtæ Othomano nomini reponendæ auidus, cum Moſchis arma ſociauerat, & præmiſſo cum centum amplius millibus bellatorum ad inuadendam Podoliam Abaſſio Veziro, ipſe Hadrianopolim ſe contulerat, vt Orientem iterum in Europam commoueret, audito ingentiſſimæ victoriæ ſtrepitu, & Moſchicæ pacis nuntio, mutauit ex timore conſilium? quaſi ſolus, atque deſertus à ceteris orbis terræ Principibus Conſtantinopolitanus Cefar cum Vladislao Rege cõgredi reformidaret. Quamobrem pacis redintegrandæ ſtudio, cum ſtrangulari iuſſiſſet tamquam fœderis ruptorem infelicem Abaſſium vnum è purpuratis cariſſimum ſibi, vt impenſa ſumptuoſi funeris declarauit, viſus eſt placandæ Poloni Regis iræ victimam nobiliſſimam immolare. Poſt Amurathem

ter-

terrore perdomitum, cum victorem exercitum, & polonas aquilas à Boriſtene, ac Tira in Boruſſiam circumageret contra Suecos ſi minus amplitudine imperij, peritia certè gloriaque armorum Turca præſtantiores, nonne Sueciæ Regina quæ id temporis Germanicis bellis diſtracta tenebatur, tantam armorum procellam, cui Moſchus ſuccubuerat, Turcus effugerat, omni arte declinandam exiſtimauit? an memor è Regnatrice Sueciæ domo clariſſimos Poloniæ Reges imperitare, intra familiæ decus hæſuram putauit eam gloriam: ſi ereptas Pruſſiæ vrbes, annuum ſexcentorum millium aureorum reditum cum Baltici maris imperio Poloniæ reſtitueret, vt Rex Vladislaus bellorum pretijs pace, potiretur? Ecquid igitur mirum ſi triennio inter grauiſſima bella bellorumque minas conſumpto, per tredecim reliquos annos Vladislai Regni, vitæque ſpatium, alta pax domi, foriſque, vt non minori miraculo in Polona, quàm in Romana olim Republica clauſum Iani templum videretur? Quam pacem vnica, ſed maxima victoria partam dum reputo, qua-

dra-

draginta Sigiſmundi Patris victorijs, quibus magnus ille Rex Imperij annos æquaſſe dicitur, anteferre non dubito. Nam vbi hoſtis ex reuerentia prouocare non audet, plus eſt non dimicare, quàm vincere. Niſi fortè Romanæ Reipublicæ triumphos anteponas Auguſti paci, quando Romanus terror ſilentium bellis omnibus imponebat. Quòd ſi glorioſum bellum vix ingloriæ paci præfertur, tanta eſt in bello calamitas; profectò glorioſa pax, qualis Vladislao regnante Poloniæ contigit, omnibus melior eſt bellis, atque victorijs. Ecquis enim alius tandem triumphorum eſt vſus, quam vt honeſta pace perfruamur? Atque vtinam ſuſcitata poſt tanti Regis obitum bella non oſtenderent, quantum pax, & felicitas Gentium à venerabili Vladislai ore penderet! en audiuimus regalibus exequijs funebres ludos celebrari, dum prodigæ ſanguinis gentes Polonicum iugum ſecuribus frangere moliuntur, & indomitæ feræ mortuo Leone tripudiant.

Sed neſcio an grauioris operis Vladislao fuerit, pacem cum externo hoſte

fir-

firmatam, retinere inter ſuos. Nam bellicoſis ſæpe nationibus formidoloſior bello pax eſt, quando vbi hoſtis deſit externus, in viſceribus quæritur.

Hinc Romanis olim vnum ex Imperij arcanis, vt bella de bellis ſererent, ne ciuium ſanguinem per diſcordias perderent domi, quo foris prouinciarum, & regnorum quæſtum facerent. Miſerabilis neceſſitas, vſuſque regnandi. Perpetua laniena generis humani damnare Rempublicam, haud dubia in præſens, futurumque pernicie. Nam vel conſociatis externarum Gentium viribus obterenda eſt inuidioſa potentia nata excidio Orbis terrarum, ſi fortuna triumphos defatigata deſtituat: vel vbi omnia domuerit, vt Romana Reſpublica, in ſe parricidalia tela conuertet. Interim ſemper in ferro, ſemper in cædibus, nulla vacua metus hora, bellorum pretijs haud quaquam periculorum magnitudini reſpondentibus. Nam prouincias obtinent hominibus vacuas, & pro magnis regnis magnas ſolitudines. Atque hæc, quaſi dum aliena ſic comparant, ſua non amitterent, nec deſolarent ci-

uibus

uibus oppida, cultoribus campos, rarâ ſenectâ, rariori iuuentute, victorijs abſumentibus ipſos victores: dum familiæ cumulatis funeribus triſtes, afflictiquè vectigalibus populi, triumphos celebrant lacrymantes. Quæ cum veriſſima eſſe veterum memoria temporum, & recentium exempla teſtentur, quis Vladislaum non æquè admirabilem in conſeruanda pace, quàm profligandis bellis fateatur, diſciplinamque in eo non commendet magis, regendi ciuis, quàm vincendi hoſtis, Reipublicæ ſalubriorem? Atque in eo Regno, vbi quotidiana incentiua turbarum ſuppeditare ſolet natura Principatus Rempublicam, regnumque miſcentis, dum alij pro libertate, alij pro dominatione nituntur: tum religionis, ſectarumque diſſidia, quibus coactus non ſemel cum RoKoſianis confligere, fudit ciuilem ſanguinem Sigiſmundus, in componendis per victoriam, quàm euitandis, ciuilibus turbis felicior. Sed Vladislaus in eo Patrem ſapientiſſimum ſuperauit, qnod ciuiles diſcordias ſententijs, & decretis, non ferro ſanauit. Quamuis enim catholicam religionem

nem in corde, ſerret in oculis, vti eum decebat Principem, qui plures Diuorum imagines in maioribus ſuis, quam pleræque religioſæ familiæ, numeraret, qui adoleſcens inuitatus ab hæreticis in Sueciam, auitum ſceptrum, quàm fidem deſerere maluiſſet, vt ſanè Vladislai Regis, & Sereniſſimorum Principum Fratrum fidei trophæum appellanda ſit non regnata Suecia: qui contra Turcas, Scythas, & Moſchos toties vigilias, labores, & pericula caſtiſſimæ religioni repræſentarit; nihilo tamen minùs fortitudine in bello, in pace ſapientiæ, ac iuſtitiæ artibus rem catholicam tuendam, amplificandamque eſſe cenſebat. Quamobrem vnius ſententiæ reſcripto plus cladis hæreſi obtuliſſe fertur in Polonia, quàm alibi aliorum Regum arma cruentiſſima intuliſſent.

In Vrbe Vilnenſi (hæc Lithuaniæ metropolis eſt) hæretici ſupplicationi catholicorum inſultauerant. Cum enim è Franciſcana familia patres in ſacra pompa incederent, vnus è Caluini ſecta graſſator, prægrandem lapidem demiſit è tecto, in eum, qui ſalutare Domini pen-

dentis è cruce vexillum ferebat. Nec ſefellit ictus deſtinantem manum. Nam & auguſta Seruatoris imago comminuta eſt, & myſtes vulneratus. Per eoſdem dies, alij ex eodem grege, ab editiſſima domus ſpecula, ſagittis collineantes per ludum ſupra tectum templi monialium, cæleſtis militiæ Principis Michaelis effigiem, ſacrilego iactu temerauerant. Defertur vtrumque crimen ad Regem, per
„ vnum ex principibus: Veniſſe tempus,
„ quo Vladislaus pietatem ſuperis, iu-
„ ſtitiam populis approbaret, & qua
„ fortitudine Patriam olim, nunc Cæ-
„ lum defenderet. Hæreſim dum tole-
„ ratur, intolerandam euaſiſſe, aut
„ conculcandam penitus, aut ceruici-
„ bus ſuſtinendam. Ecquid grauius au-
„ dere potuiſſe, ſi haberet fautorem
„ Regem, Primates, Regnum, quàm
„ violare Diuûm effigies, Seruatoris ima-
„ ginem frangere, mactare ſacerdotes?
„ Nec temere id factum, ſed in experi-
„ mentum patientiæ, vt ſi impunè pro-
„ cederet, quod ſemel vnus, & alter,
„ id palam omnes auderent. An igno-
„ rari Caluini diſciplinam? quæ arro-
gan-

„ gantiam, & inſolentiam doceat, non
„ minus quàm catholica fides manſue-
„ tudinem, & patientiam? Quin obſe-
„ quia exuat legum, & Principum, tàm
„ falſo, quam ſpecioſo prætextu liber-
„ tatis, dum conſcientiam ſuam audire
„ tantùm, & ad ſe omnia referre iubet,
„ quot capita, tot Tyrannos. Quare
„ humanitate nil profici, ſed vt feras
„ natura, & aſſuetudine inhumanas, ad
„ officium catenis, & ſupplicijs com-
„ pellendos.

Nec hæretici ſibi deerant, qui non ignari quantum peccauiſſent, vltrò querelas præuertere, & incuſare catholicos, quaſi rependiſſe iniurias, non intuliſſe
„ viderentur. Se deſpicatui eſſe, ac de-
„ ridiculo omnibus querebantur, &
„ veluti è Iudæa fece, vulgò iam pomis,
„ & lapidibus appeti. Sed ſilentio tot
„ mala inuoluere, deſperatione reme-
„ dij ob conniuentiam catholicorum
„ magiſtratuum, & quia quotidianæ mi-
„ ſeriæ obducto callo ſenſum ademiſ-
„ ſent. Iam verò illud ferre non poſſe:
„ quòd ſi toties laceſſiti aliquid contra
„ reponerent, ſtatim tragœdiæ, auctis

„ in

„ in maius criminibus, & vnius inuidia
„ in omnes deriuata. At ſe ſingulos gra-
„ uiora in dies perpeti ab vniuerſis, quæ
„ nemini aduerſariorum imputarentur.
„ Scire vnde tantum animorum, quod
„ haberent catholici Regem in parti-
„ bus, & adiutorem ſperarent. Sed falli.
„ Regem Vladislaum eſſe, non ſacerdo-
„ tem. Qualemcumque religionem ſu-
„ peris, æqualitatem populis debere.
„ Se Polonos eſſe, non Turcas. Eadem
„ patria, lege, moribus, per omnia ſi-
„ miles, ſi fidem demas, quæ cum in
„ animis abdita ſit, illius rationem Deo,
„ non hominibus reddendam. Orare
„ ad vltimum, vt ſi minus ſuis miſerijs
„ ſubuentum vellet, ſaltem ne augeret,
„ inimicorum calumnijs præbendo au-
„ res. Sed reputaret, miſeros non au-
„ dere, illorum eſſe iniurias inferre, qui
„ plus poſſent.

Vladislaus cum vtrique parti aures æquas tribuiſſet, ita verborum, & vultus ſignificationibus temperatis, vt quibus gratificaturus erat, paulò ſeuerior vi-deretur, protracta in tempus comitiorum ſententia, die Senatus orationem

habuit prudentiſſima moderatione:
„ Se cognouiſſe de criminibus, & in al-
„ tera parte ludicra, in altera atrocia
„ reperire, etiam ſi ex æquo probaren-
„ tur, illa puerili verbere, iſta ſuppli-
„ cijs vindicanda. Sed neque probari
„ Catholicorum dicta, cum Hæretico-
„ rum facta dies, populus, cædis mo-
„ numenta conuincerent. Agite (inquit)
„ quotquot eſtis Caluini aſſeclæ, ſi quod
„ admitti non oportuit, negando dilui
„ poteſt, fauentem Regẽ habetis. Sin lu-
„ ce clariora flagitia ipſi diffiteri erube-
„ ſcitis æqui, boniq; conſulite ſententiã
„ æquitati, non partibus datam. Regem
„ me fateor, non ſacerdotem. Sed vide-
„ te qui vos error decipiat. Sacerdos,
„ minus de Religione laborarem, quæ
„ permultum intereſt Regis, & regni,
„ & quoniam pars regni eſtis, & Poloni,
„ non Turcæ, veſtrum quoque. Nam
„ duo ſunt, quæ imperia labefactant
„ hæreſis, & tyrannis. Hæc ciues abalie-
„ nat à Principe, illa mutua odia inter
„ ciues, ſerit, & inter Principem. Atquî
„ à tyrannide neſcio, an regnum lon-
„ giùs abſit vllum, quàm Polonicum,
vbi

,, vbi tantum libertatis, & Reges paren-
,, tum, Nobiles inſtar liberûm agunt.
,, Ne noceat hæreſis per factiones, &
,, diſſidia; prouidendum eſt. Neque id
,, eo dico, quaſi ſacramenti pœniteat ini-
,, tio regni ſuſcepti pro libertate animo-
,, rum. Vos enim teſtes habeo nullius
,, conſcientiæ vim illatam, nonnullos è
,, ſectarijs honoribus auctos, vt non mo-
,, dò iuſtitiam in Rege, ſed neque libe-
,, ralitatem deſideraretis. Quam cum
,, alienæ religionis hominibus exhibue-
,, rim, neque Regis, neque viri boni of-
,, ficio fungerer, ſi æquitate cunctis de-
,, bita catholicos fraudarem meos. Cum
,, igitur multorum teſtimonijs, & ſua ip-
,, ſorum confeſſione Caluiniſtæ coar-
,, guantur, in Vrbe hac atrocia deliquiſ-
,, ſe, in pœnam admiſſi, & ne in poſte-
,, rum nouæ cauſæ collidant, illorum
,, conuentum extra vrbem ablego, in
,, ſinagogam ligno temporario fabrican-
,, dam. Cadauera honore publicæ ſepul-
,, turæ carento, auctores flagitij pœna
,, capitis, & publicatione bonorum, con-
,, ſcios exilio condemno. Cæterùm &
,, Catholicis, ſi qui ſunt ad iniurias pro-

 ,, ni,

„ ni, habeo quod ſuccenſeam. Vos reli-
„ gioni caſtiſſimæ magiſtræ manſuetu-
„ dinis,& officij crimen infertis. An ob-
„ ſcurum eſt Chriſtianam fidem non in-
„ ferendo iniurias; ſed ferendo propa-
„ gatam? Cur veras principatus rationes
„ inuertitis? Cur optimam cauſam, dum
„ malis artibus propugnatis, affligitis?
„ Equidem (ſi quid Regis exemplum
„ valet) fidem fortitudine in bello, in
„ pace, iuſtitia, manſuetudineq; defendo.
„ Quænã æmulatio peruerſa in mutuas
„ contumelias tranſuerſum agit? in vtriſ-
„ que damnanda, plus in nobis, qui ſa-
„ niora ſentimus. Fratres eſtis: habitum
„ ora, ſanguinem ciuium amate, ab animis
„ tantùm lue infectis eſt abhorrendum,
„ ſed eatenus, vt ſalus non deſperetur.

Quanta per hanc ſententiam in reli-
gionem catholicam commoda, & orna-
menta, quanta clades, & luctus in Cal-
uiniſmum, quanta in Regem fama, glo-
riaque redundarit, quis valeat oratione
complecti? Reſpirauit Vrbs præclariſſi-
ma, fece hominum tam ſordida elimina-
ta, & locus extra Vrbem teter, ac luri-
dus Caluiniſmo deſtinatus geminauit
hor-

horrorem. Cum exules, damnatoſque odium generis humani ſequeretur: nec minus illi de religionis triumphantis gaudio, quam ſuis de opprobrijs,ſupplicijſque mœrerent. Ademptis, quod triſtiſſimum erat, tantæ cladi ſolatijs querelarum. Quid enim? Iuſtitiam Regis incuſarent? Qui non ſecus ac mutæ leges, & inanimæ, ſine dolore, ſine ira maleſacta grauiſſima vindicauerat. An catholicis iraſcerentur? Sed illi, vt virtuti ſuæ, ac Regiæ voluntati obſequerentur, victoria modeſtiſſimè vtebantur. An fortunæ maledicerent? At illa ſe excuſaret, & diceret, ſemper inſtabilem, nunquam ſceleri ſempiternam impunitatem promiſiſſe. Reliquum eſſet, vt ſe vnos ad tribunal mentis vocarent reos; ſed ſuperbia, & obfirmatus in prauo animus non ſinebat, nam innocentiæ pars fuiſſet culpam confiteri.

Quod ſi Caluiniſmum ex vrbe principe, Arianos proſcripſit è regno. Nec occaſiones palam ſtruens, ſed prudenter accipiens oblatas, caſumque vertens in conſilium, vt non ex pietate fauere fidei noſtræ, ſed alienæ perfidiæ iraſci, ex iu-

 ſtitia

ſtitia videretur. Quamobrem extra inuidiam, vel ipſorum hoſtium erat, non extra ſuorum gloriam, qui altiori intellectu facta non modum, & exitum rerum potius, quàm occaſiones, & initia perpendebant.

Ediderat neſcio quis libellum in Chriſti Domini diuinitatem, atque vt authoritatis pondus adderet, viro nobiliſſimo inſcripſerat. Rex admonitus venit in Senatum, docet qualis fuerit neſarij ſcrip-
„ toris audacia. Se cum regno inaugu-
„ raretur pacem, libertatemque animo-
„ rum ſacramento hæreticis confirmaſſe
„ qui videlicet Chriſtiano nomine con-
„ tinerentur. Arianos indignos eo vide-
„ ri, qui Chriſto diuinitatem detrahe-
„ rent. Se igitur Arianam ſuperſtitio-
„ nem perinde ac Mahemeticam è Polo-
„ nia exterminare, infamem ſcriptorem
„ furcæ addicere, bonis euertere, librum
„ carnifici, & flammis tradere. Sic vnius regalis ſententiæ fulmine Arianæ reliquiæ in Polonia conflagrarunt: quas nemo Superiorum Regum auſus fuerat attentare. Tantum animorum Vladislao virtutum nobiliſſimarum triumuiratus

da-

dabat, iuſtitia, vt honeſtiſſima vellet, fortitudo præſtabat, vt poſſet, ſapientia momenta temporum, & occaſiones aptabat. Quo factum, vt Regijs decretis nemo vel obloqui ſciret, vel repugnare auderet, vel obtrectandum exiſtimaret.

Quod ſi poetarum more heroum virtutes cauſis cæleſtibus imputantium, tantum in Vladislao catholicæ rei ſtudium in auctores pares referendum ſtatuamus, equidem poſt religioſiſſimam Parentum inſtitutionem, acceptum refero peregrinationi nobiliſſimæ, quando vigeſimo quinto huius ſæculi luſtrali criminum anno, inuitante Vrbano Octauo Pontifice, Romam acceſſit. Quo ſanè peregrinationis tempore, quamuis priuati habitu, cultuque tantum Principem diſsimulare conaretur, maieſtate tamen, quam Diuinitas in Regum frontibus imprimere ſolet, & vulgatis Regij oris imaginibus, famaque prodentibus, vbique nobilis inter acclamationes, & plauſus ingrediebatur: cum effuſi in occurſum populi cupidiſsimè oculis quærerent, digitoque monſtrarent Poloniæ Principem victorem Orientis, pro quo paucis ante

annis,ſe anxios animis agitaſſe meminerant, cum in Valachia, duobus menſibus belli fortuna penderet, & propter apparatum Turcarum ingentem, ac modicas Poloniæ copias, Chriſtiano nomini aduerſa timeretur. Quamobrem tantùm aberat ab ea ignoti perſona quam ſuſceperat, vt per ora Europæ Principum, & populorum, non peregrinando traduci videretur, ſed triumphando.

Sed nuſquam gentium maiores illi honores oblatos fuiſſe crediderim quàm in hac Principe ſacrorum vrbe ac ſede triumphorum, vti nullam decebat vrbem Vladislao patrocinium religionis,& fidei magis debere, quam Romam. Quæ cum id temporis hoſpitalem ſinum generi humano laxauiſſet, quot à remotiſsimis terris ſui veneratores exciuerat, tot Vladislauianæ virtutis admiratores conferebat. Qui tunc populorum plauſus? quæ Purpuratorum Patrum gratulationes? quanta Principum ſtudia, quanta Cælitum? Cum triumphalibus Apoſtolorum liminibus affuſus, magnus exercituum imperator procumberet, cum priuato habitu inuiſens Diuorum

cine.

cineres, qui pro Chriſto generoſum ſanguinem ſuderant, quaſi conſortibus glorioſi laboris de ſuis victorijs gratias ageret, & acciperet, cum ad Regale Piſcatoris ſepulchrum ſuſpendens bellicam laurum, ad noua bella, nouos triumphos, recentes ſpiritus, & vigorem hauriret, cum ad Summi Pontificis, ſecundæ à Deo Maieſtatis amplexum, atque oſculum pedis admiſſus, duo inter ſe auguſtiſſima ſacrorum, & bellorum coirent capita, quidquid erat in terris ſanctitatis, & armorum gloria, cum denique in Canonicorum vaticanæ baſilicæ ſenatum adſcriptus, linea veſte ac dalmatica indutus, Seruatoris effigiem Diuæ Veronicæ velo impreſſam tum veneraretur ipſe, tum venerandam exhiberet plaudentibus populis, & Poloniæ Principi Sacerdotem agenti fauſtè ac feliciter acclamantibus; cum vel ſacra ipſa bellicoſis illis manibus contrectari gauderent, quas ſuſus toties impiorum ſanguis fecerat ſanctiores. Quo loco reticere non debeo honorificentiſſimum Vrbani VIII P.M. de Vladiſlai virtute iudicium. Cum enim de Poloniæ Principe in Canonico-

rum

rum ordinem adoptando, vt auguſtiſſimam Chriſti imaginem propiùs intueri fas eſſet, exemplo Caroli V. Cæſaris ageretur, nonnulli verò in dubium vocarent, vtrùm Poloniæ Regis filius cum tanto Principe huius honoris dignatione conſerendus videretur, interrogatum
„ Vaticani oraculum nodum ſoluit: Vla-
„ dislaum Poloniæ Principem maximis
„ Regibus, & Imperatoribus ea præro-
„ gatiua honoris coæquandum videri,
„ qui triginta prælijs Turcarum Tyran-
„ num potentiſſimum concidiſſet. Quo Pontificis ſapientiſſimi elogio non ſolùm honorem adeptus eſt honori Magni Macedonis parem, quando à Corinthijs ciuitate donatus dignitatis communione rariſſimæ cum Hercule componi gaudebat, verum etiam omni principali faſtigio ſublimior diſcedere viſus eſt à Regina gentium vrbe Cæſaribus æquiparatus Vladislaus ore Romani Pontificis, cuius auctoritas Occidenti Ceſares dedit. Poſt tam grande Romanæ aulæ teſtimonium, ſuperuacaneum ducerem ceteras referre ſignificationes honoris ampliſſimas, a clariſſimis Principibus, & Regibus Vla-
dislao

diſlao impertitas, niſi cum ſingulæ ſingularem aliquam in hoc Principe laudem exornarint, plus neſcio quid, quàm vulgaris per ſe honor facere ſolet, ſignificarent. Quid enim aliud egit marchio Ambroſius Spinula? cum in Belgio caſtra Hiſpana quæ Bredam circumſidebant inuiſenti, inter cetera obſequia illud detulit, vt quemadmodum hiſtriones Roſcio ſpectante geſtum facere non audebant, ita Spinula coram tanto militiæ magiſtro exuta Ducis perſona, in Vladislaum regimen obſidentium copiarum transferret, atque in luſtrando caſtrorum vallo illo celeberrimo, cum forte Rex locum opportunum propugnaculo deſignaſſet, eo ſtatim Marchio fabris, operiſque imperatis, poſtero die nouum excitatum caſtellum ad nutum ſummi Imperatoris oſtentaret? Quid aliud egit Turcarum Imperator Oſmanes? cum fœdere icto diſcedens prior, à dolore ſuo impetrauit Barbarus iracundus, vt victorem Vladislaum ſalutatum mitteret, donatumque maximi elephantis munere; quid aliud inquam contendit, niſi vt Principem flore ætatis æqualem, poten-

tia

tia æmulum,claritudine generis non imparem, ſuperiorem maieſtate virtutis fateretur? Cum verò ſublato è viuis Sigiſmundo,nullus Chriſtianorum Principum Polonicum ſceptrum ambire auſus eſt, ita vt rariſſimum decus, Vladislaus tantæ ſpei candidatus competitorem non haberet,nonne Vladislai nomini, & virtuti tantum venerationis Europæ Principes tribuerunt?Cum denique magnus Scytharum Chamus Vladislaum in Moſchouiam contendentem, legatione nobiliſſima eſt veneratus, qua, & victoriam augurabatur, & victoriæ ſe adminiſtrum cum octoginta bellatorum millibus offerebat, quæ res alia ferociſſimi barbari animum tanta obſequij dulcedine mitigauit, niſi eximia Vladislai benignitas, qua initio Principatus captiuos omnes Scythas, atque in ijs Principem Chami fratrem ſine vllo pretio dimiſerat, vt inaugurationis ſuæ lætitia ad inimicas etiam, & remotiſſimas gentes perueniret? Quid acclamationes populorum in vrbibus? quid amor, ſtudia, fides militum in caſtris? quid in gymnaſijs prædicationes litteratorum? quid

ora-

oratorum panegyrici, carmina poetarum, hiſtoricorum annales? quid ſtatuæ, & ad memoriæ æternitatem erectæ ſumptuoſiſſimæ moles? quid aliud niſi cætera illius animi clariſſima lumina teſtantur? illam benignitatem, qua neminem à ſe triſtem abſcedere patiebatur, munificentiam, quæ Poloniæ alueo ampliſſimo non contenta in externos beneficijs redundabat, illam ſapientiam doctrina, & peregrinationibus imbutam, quinque principibus linguis ad miraculum exercitatam facundiam, humanioris litteraturæ peritiam, & hiſtoriarum plenum pectus, cum Liuianas decadas nouies euoluiſſe dicatur, prudentiam incredibilem in continendis in officio ducibus, militibuſque, quæ ars Annibalem, non minus admirabilem, quàm Trebia, Cannæque fecerunt: fortunam denique, quam ſeu virtutis comitem fateare, ſeu numinis donum, penè in poteſtate habuiſſe videtur Vladiſlaus, quàm Alexander, aut Cæſar. Cum præſertim dignitas oris animi magnitudini conſentiret: frons lata, & exporrecta, qualis Platoni nomen indidit, magnæ mentis,

& ma-

& magni pectoris indicium : grandes oculorum orbes, ſed concinni, quales Deabus ſuis familiari epitheto affingit Homerus: labrum inferius prominens, Auſtriaca nobilitas: naſi filum decenter oblongum, aquilæ in morem, vt generoſos decet, qualem in Regibus ſuis laudabant Perſæ, ac propterea Cyro fabuloſa Xenophontis hiſtoria, noſtri annales citra fabulam Georgio Scanderbecho tribuerunt: color candidus in malis rubore ſuffuſis, vt miraculo eſſet in Vladislao, non minus quàm olim in Alexandro pulchritudinem cum tanta fortitudine conuenire: flauum capillamentum ad humeros vſque promiſſum in morem leoninæ iubæ, quod ferociam militarem pariter, & facundiam indicaret: tota denique corporis moles, & figura ita compacta, vt bellatorem, vt heroa, vt Regem Poloniæ potentiſſimum deceret. Sed propero ad poſtremum vitæ actum, quando in communem hoſtem Turcam Venetæ pacis perturbatorem, cum ingentem exercitum conduxiſſet, coactum iubente Polona Republica diſſoluit. Quo facto duo in omnem poſteritatem prædican

dicanda ſummæ virtutis documenta Rex auguſtiſſime reliquiſti: alterum quod paratus eras in communi fidei cauſa extremum ſpiritum fundere, alterum quod prohibitus Turcas vincere, te ipſe viciſti. Arduum ſemper fuit Regibus etiam inermibus aliena iuſſa faceſſere, & alios potiùs audire, quàm ſe. Vladiſlaus Rex, Reipublicæ paruit armatus. Paſſus eſt audiri voces ingrata iubentium, inter tubarum, ac tympanorum ſtrepitus, quadraginta millibus bellatorum pro Vladislao Rege mori paratis. Quanta hæc moderatio in ſumma potentia? cogi voluit, cùm cogi vix poſſet. Dedit hoc Reipublicæ charitati, dedit legibus patriæ, & quoniam leges mortalium ab vna ſempiterna lege deriuantur, dedit hoc Deo.

Poſt immortale facinus, ne quid humanum cæleſtis animus agitaret, fortiſſimum Regem Superi aſſeruerunt inter Vladislaos ſuos, Caſimiros, & Sigiſmundos. Quorum imperium virtutem felicitatem aſſecutus cum viueret, religionem, & pietatis ſtudium potiſſimum expreſſit in morte. Quanta enim in expian-

piando ſepius confeſſionibns animo diligentia? Qui ſenſus, & lacrymæ in delibando ferculo immortalitatis? Quam fortis in extremis ſecuritas, & ea pugna corporis animam dimittere reluctantis, quàm plena pacis? Deceſſit à rebus humanis Vladislaus eo animo, quo ad bella pro fide contendit, relicta ſuperſtitum ſolatio ſuarum virtutum imagine, ea longè perenniore, quam Sigiſmundo Patri in vrbe Varſauia, ex ære ſolido, ſuper marmorea columna magnificentiſſimam dedicauit. Hanc figuram mentis æternam, formamque meliorem, ſempiterna memoria celebrare potius, quàm ignauis lacrymis libeat, celebrandumque poſteris tradere Vladislaum Poloniæ, ac Sueciæ Regem, ante regnum regni capacem, in regno maiorem, Moſchi, Sueci, Tartari, Turcæ triumphatorem, veneratum Principibus, amatum Populis, hoſtibus formidatum, nemini inuiſum, inſignem profuſione opum, auaritia gloriæ, religionis tenacem, prodigum ſanguinis: ingenio viuidum, valentem manu, victoriarum artificem, cuſtodem pacis: fortiſſimum inter ſapientes

Re-

Reges, inter fortes ſapientiſſimum, ſolertia Annibali, virtute Scipioni, felicitate Auguſto parem: Regum, Cæſarum, Pontificum teſtimonijs, & prædicatione glorioſum, flagellum ſchiſmatis, Caluiniſmi funus, Arrianorum excidium, huius Romanæ Sedis, B. Pater, quam præſens magnus adorator inuiſit, ad Septemtrionem propugnaculum, victorem olim Orientis, ad vltimum ſui. Dixi.

IN LAVDEM

FRANCISCI

CARD. BONCOMPAGNI

ARCHIEP. NEAPOLIT.

ORATIO FVNEBRIS

Habita in Aula maxima Collegij Rom.

Digitized by Google

EXCELLENTISS. DOMINO

HVGONI SORÆ DVCI

&

ILLVSTRISS. DOMINO

HIERONYMO ABBATI BONCOMPAGNIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GVLIELMVS DONDINVS FEL.

QVAM ſapiens ille Philoſophus moriens vnum ſe ac pulcherrimum amicis relinquere teſtabatur imaginem vitæ ſuæ, hanc Vobis Fraucifcus Cardinalis Patruus virtutum nobiliſſimarum coloribus expreſſam reliquit, eandem ego repræſento hac funebri Oratione, Dux Excellentiſsime, Illuſtriſsime Abbas. Et nos quidem illi magnæ animæ de noſtro Ordine optimè meritæ ſacrificijs, lacrymis, panegyricis, in hoc Gregoriano Collegio vtcumque fecimus ſatis; proxima Veſtri cura eſt, anxia, quia ſperamus tantis Vos nominibus, Patruo nimirùm ac Proauo, futuros pares. Ea Familia geniti eſtis, in qua non ſolùm Noſtri Ordinis, verum etiam generis humani interſit, conti-

 nua-

nuari cum maiorum virtutibus, ſummos honores, vt continuentur in omne genus hominum beneficia. Ad ſpes tam grandes implendas, nulla certior eſt via, quàm ſi virtutem, verumque laborem didiceritis ex Patruo, fortunam etiam ex Proauo. Hàc Franciſcus Cardinalis ad immortalitatem vadens, Gregorij Tertij Decimi laudes eſt æmulatus, nonnullis in rebus, vt accidit in poſteris, atque exempla ſequutis, etiam ſuperare contendit; adeòut magnus ille Auus, ſi terrarum curas repetiturus eſset, ac regimen reperiret, quod imitaretur in ſui imitatore Nepote, haberetq; Gregorius, hoc eſt virtus ipſa, vnde virtutibus augeretur. Et Vobis pariter æmulantibus domeſtica decora, ſanguis ipſe, indoleſque arcana naturæ conſpiratione conſentiet: nam in heroum proſapia, non tam opes ac tituli, quam virtutum ſemina, hereditario propè iure, transfunduntur in poſteros. Nos verò ornamenta plurima, & maxima, quæ in Societatem Noſtram Gregorius Tertius Decimus, & Franciſcus Cardinalis liberaliſsimè congeſsere, ea Vobis heredibus tanti patrocinij, atque ingrati animi noſtri creditum ſuccedentibus, ſemper debebimus. Valete.

ORA-

ORATIO

VETVS illa ſapientiſſimorum virorum opinio, viuenti virtuti rarò ſua gloriæ pretia perſolui, famamq; heroum in morte naſcentem feretrum ſortiri pro cunis: multò verior in chriſtianæ religionis Heroibus cõprobatur, qui virtutum lectiſſimarum auro, cæleſtem ſanctimoniæ gemmã indiderunt. Cum enim illi nihil expetendum putent in rebus humanis, non ſolum opulentum gloriæ theſaurum ab hoſtibus diripi æquo animo patiuntur; verum etiam propriæ virtutis obſcurando fulgori, eorum ſanctitas cum inuidorum malignitate coniurat. Poſt mortem verò aduerſarijs vtrinque ceſſantibus, nam & inuidia ipſa, extincta virtute expirat, illorum gloria è cineribus emicat, & quemadmodum Sol, ſpectatorem tandem habet cum deficit, ita cœleſtis ſummorum hominum virtus ſpectatores, admiratoreſque inuenit poſt occaſum.

Quamobrem mirandum non eſt,ſi Franciſci Cardinalis Boncompagni Neapolitani Antiſtitis eximia virtus magna ſui parte inumbrata cum viueret, poſt mortem tanto ſe præbuerit fulgore conſpicuam, quantus ex breui rerum commemoratione geſtarum à fide dignis deducta teſtibus eluceſcet.

Quas enim in Eccleſiæ Principe, Paſtoreque populorum, heroicas animi dotes deſideramus, ſapientiam ſummam, ſanctimoniam ſingularem, capacem omnis hominum generis charitatem, has omnes & inter ſe connexas, & reliquo virtutum minorum adſociatas choro, in Cardinalis Boncompagni pectore reperiemus. Et de doctrina quidem, quæ Princeps in Eccleſiæ Principe laus eſt, quia in Boncompagno non obſcura cum viueret, & ſermone hominum celebrata fuit; pauca dicam in præſentia, maiorumque fiducia, quæ ſuperſunt, hæc magna, ſed nota inculcare ſuperſedeo. Nego igitur vllum fuiſſe doctrinæ tam reconditum, & abſtruſum genus, quod Boncompagnus acie ingenij perſpicaciſſima, non modò non attigerit, ſed pe-

nitùs non introſpexerit. Præclaræ videlicet indoli, ita ſe indulgentia cœli totam infudit, vt benignorum conſpiratione ſiderum ſortitus videretur ingenium erectum & ſublime, memoriam facilem ac tenacem, acre, promptumque iudicium, magna inſtrumenta parandæ, retinendæque ſapientiæ. Quibus inuitamentis naturæ cùm accederet auitæ virtutis, gloriæque ſemper animo præſens recordatio, in tam inſatiabilem omnis doctrinæ cupiditatem, iam inde ab adoleſcentia prouectus eſt, vt ſi quam horam à ſapientiæ complexu diuideretur, diſtrahi videretur à vita. Tunc illa cœpta viuendi ratio, & inſtituta caſtiſſima, quæ creſcente ætate, conſuetudine ſunt aucta, & in naturam virtutes abiere. Quapropter mirari minus debeamus, ſi Cardinalis Boncompagnus parandæ ſapientiæ natura tam factus, arte tam exercitus, eruditiſſima Eccleſiæ lumina doctrinæ ſplendoribus adæquare viſus ſit; quippe qui omni apparatu litterarum humaniorum ſpecioſus, ſecreta naturalium rerum, ſacramenta diuinarum, humani diuinique iuris arcana comprehenderat,

 tum

tum quidquid ethice moribus, quidquid ciuitatibus regniſque frugiferum politice ſuggerit, in ſacroſanctas litteras ita ſe penetrauerat, vt arduos in ijs nodos explicaret ipſe per ſe, triumque principum linguarum peritiſſimus, omnem hiſtoriam tenebat: vt ſileam de Mathematicis, Muſicis, ſiderum ſcientia, eruditiſſima omnis antiquitatis cognitione, ad quam eruendam, induſtriam liberalitatemque ſuam conferens, conquiſita veterum Numiſmatum exquiſitiſſima ſupellectile, de omni litteratorum republica egregiè meritus eſt. Verùm præclarè meruiſſe de litteris Boncompagni remiſſionum laus fuerit, nam ſeria, & grauia curarum, in maius quiddam & excelſius, in æternitatem non litterarum, ſed animorum intendebat, adlaborans, vt ſapientiam cum vitæ ſanctitate ſociaret. Et ſanè populorum Antiſtes quantalibet doctrina inclareſcat, niſi heroicæ probitatis decus adiunxerit, doctrinam perdidit. An non miſeratione, quàm admiratione ſit dignior, cum virtutes laudet ac fugiat, vitia oderit & ſequatur, cum veritatis face præluceat alijs non ſibi, ſe-

mitam-

mitamque ſalutis oſtendat, ipſe ruiturus in præceps? Contra ecquod auri gemmarumque tam pretioſum eſt fœdus, quod æquet ſapientiæ ac probitatis in terris cœleſte conſortium? Quantum illud in Cardinali Boncompagno dignitatis habuit! quantâ in Deum gloriâ, in populos vtilitate redundauit! Cum viderent Antiſtitem ſuum vnum ex priſcis illis noſtræ Religionis Heroibus, ſublimitatem doctrinæ adæquantem factis, non tantum loquentem fortiter, ſed & viuentem, lucentem ſapientia, caritate flagrantem. Quam verò Boncompagnus virtutis dotem in Fanenſis primò, dein Neapolitanæ Eccleſiæ coniugium non attulit, allatamque non amplificauit? An pietatem in Deum? cuius adeo congreſſu iucundiſſimo tenebatur, vt non ſolùm horarum ſpatia orando conſumeret, verum etiam labore ſuo cœleſtiſque gratiæ dono eò peruenerit, vt in media negotiorum frequentia, ſecreto diuinæ contemplationis frueretur, eique inexhauſtæ bonitati, quam Numine ac beneficio ſibi ſemper adeſſe intelligebat, viciſſim ſe ſiſteret gratiſſimis cogitationi-

bus

bus præſentem & ſupplicantem. An innocentiam in illo deſideremus? qui antequam purpuram inſulamque ſuſciperet adoleſcens & Princeps, pudore purpuratus ſuo, conſecratus innocentia, ad æmulationem Ambroſij vt Epiſcopus viuebat. Non æqualium ludis, conuiuijs, alijſque id genus adoleſcentiæ oblectamentis delectabatur, adeoque ab inconceſſis aberat, vt quæ omnibus licent, illi non licerent, itaque irritamenta peccandi, quæ circumfluere ſolent iuuenem & Principem, conuerteret in materiem virtutis, quò rariorem faceret, eòque nobiliorem ea ætate, fortunaque victoriam ſui. In hoc virtutum curriculo verſabatur vigeſimum quintum annum ætatis agens; prudentiæ quoque, iuſtitiæque in gubernatione Firmi ſpecimen dederat; cum Gregorius Quintus decimus, qui eius Aui virtutem nomenque adamauerat, vt heroicum ſanguinem foueret indolemque magnam transfuſam in Nepotem, Franciſcum euocauit ad purpuram. Nec multum temporis interceſſit, cum è viuis erepto Gregorio, ab Vrbano VIII. Regnante Pontifice, qui Bononiæ olim

à la-

à latere Legatus prima Boncompagni ſapientiæ rudimenta fouiſſet; à Fanenſis Eccleſiæ ad Neapolitanæ regimen eſt euocatus, addito eo inſigni præconio: præreptum ſibi à ſuperiore Pontifice tantam virtutem purpura cohoneſtandi decus. Auctus honoribus Boncompagnus virtutes auxit, caſtimoniæ præſertim curam, quam ille propriam ſacerdotum gemmam eſſe dicebat. Et quamuis educatoris teſtimonio & eorum, qui confeſſiones accepere Card. Boncompagnus Virginalem pudicitiæ florem ſemper ſeruaſſe exiſtimetur intactum, anxiè tamen attentèque in illius cuſtodiam vigilabat, auribus, oculiſque aduersùs illecebras peccandi ſemper occluſis. Hinc illa tam pertinax à fœminarum alloquutionibus & conſpectu fuga: quas ex paſtorali munere cum audire cogeretur aliquando, nonniſi in templo coram altaribus, Diuiſque, aut in cubiculo reductis velis, in oculis aulæ populique excipiebat. Hinc ille delicatiſſimus pudor, quo corpus ſuum, ne à famulorum quidem oculis contingi patiebatur, cum ij principem adire prohiberentur, niſi poſtquam cubuiſ

buiſſet, aut manè ſurrexiſſet è lectulo.

Haud ſum neſcius, diligentiam tam moroſam ſuperuacaneam aliquibus viſum iri, humano more, modoque Heroas metientibus, & vt prouerbio circumfertur, palmo gigantes. Sed fuerit ea diligentia nimia (ſi vlla eſſe nimia poteſt innocentiæ cura); quam laudabile eſt in tanta generis humani labe, negligentiaque ſalutis, innocentiæ non ſeruare modum, & in eo peccare, ne pecces? Verùm hac via factum ſuum defendi recuſat Boncompagnus. Negat ille diligentiam vllam eſſe nimiam in cuſtodiam virginitatis, quæ cum parem in terris mercedem non inueniret, in pretium ſui auocauit è Cœlo Deum, quæ delicatiſſima æquè ac ſpecioſiſſima, afflatu ſolo violatur, tamque fragilis, quàm pretioſa (quippe Vas fictile theſaurum gerens) ſemel fracta redintegrari non poteſt, & reſurgente in beatitatem corpore non reuiuiſcit illa, nec à cœleſti figulo refingitur æternitatis in rota. Certè tam rarum in Cardinali Boncompagno pudicitiæ ſpecimen admiratores habuit ex principibus viris, ex quibus Antonius

Car-

Cardinalis Caietanus purpura,doctrinaque clariſſimus, Franciſcum Boncompagnum Collegam ſuum Cardinalem Diaconum lepida exaggeratione Stephanum Leuitam caſtiſſimum appellabat. At luſtrato magni Antiſtitis pectore AA. antequam prodeamus in publicum,placet ne domum inuiſere?Quam ſanè longè æquiùs,quàm veterum nonnulli Regum, Cæſarumque aulis cœleſtis appellationem detulere, Cœlum appellaſſes. Nihil in ea, niſi caſtum & pium,dominoque ſuo congruens: ſtatæ & frequentes preces, quibus ne vllus auderet ſe ſubducere, Dominus iubebat exemplo. Quidpiam munuſculi ab externis accipere,piaculum: intemperantiæ grauius admiſſum, exilium erat. Adeoque cœterum mitiſſimus princeps, nec ſolitus iraſci niſi ſibi, in huiuſmodi crimen cuiuſdam familiaris excanduit, vt exempli ſui ſeuerè admonitum, quemadmodum olim à Scipione Maſiniſſam ferunt, tamquam prophanum hominem à ſeptis religioſiſſimis amandarit. Hinc prouerbio increbuerat notæ eſſe, probatæque virtutis, & Sacerdotum vitam viuere,

quos

quos Boncompagnus diutiùs in ſua aula retineret.

Apoſtoli videlicet dictum reputabat aſſiduè, imparem eſſe Eccleſiæ Dei regendæ, qui domum ſuam coërcere neſciret. Etſi aliqua fuere caſtra, vt illa Chriſtianorum Heroum in Palæſtina, quæ tam ſanctè regerentur, vt non caſtra, ſed templa viderentur; quantò magis id exigi Antiſtitis in domo, vita ſua populis viuendi leges, & iura præſcribentis? Parum videlicet intereſſe ad publica detrimenta exiſtimabat, Antiſteſne, an familiares peccarent, ſi ab eadem domo prodiret flagitium, vnde petenda eſſent exempla virtutum, ijſdem ſub tectis cum Arca Dei Dagon habitaret.

Iam verò quemadmodum Nilus ex montibus cœlo proximis ortus, magnorumque fluminum acceſſionibus amplificatus, poſt ſatiatam aluei ſui capacitatem in Aegipti campos feliciter exundat: ita Boncompagni virtus, imbuta priùs magnis exemplis domo, in ſubiectos populos, cœleſti beneficiorum eluuione redundauit. Quòd ſi ea cognoſcere libet, quæ magis probantur in

vul-

vulgus, munificentiam inquam, hæreditariam Boncompagnæ Familiæ laudem, ecquis Neapoli, totaque ditione pauperum grex, aut Religioſorum Ordinum cœtus, aut domus egens nobilium, aut templum inſtaurandum, fabricandumue, opem Boncompagnæ liberalitatis non ſenſit? At quid Neapoli, eiuſque finibus circumſcripſi orationem meam? ſi Boncompagni charitas ſe nullis regionum terminis circumſcripſit? Dicam duodecim pauperes in Antiſtitis domo quotidie ali ſolitos ipſo ſæpius miniſtrante, ſimulque egenos illos epulis, populos diuinæ caritatis, exemplo nutriente? At per idem tempus pios viros ab eodem opportunis rebus ornatos, in longinqua terrarum Armeniam & Perſidem miſſos, ad Chriſti fidem propagandam accepimus. Dicam inſignes veteri claritudine familias, quæ ob inopiam, in obſcuro iacebant in Regno Neapolitano ſubleuatas? at pleroſque ab externis Regionibus ſanguine & titulis claros, impetraſſe à Boncompagno ſubſidia domeſticæ neceſſitati, teſtatus eſt poſt eius mortem conſcius miniſter iurati ſilentij religione

libe-

liberatus. Dicam inopes Virgines in Gyneceum traductas, & mille quingentis aureis annuo ſtipendio ſuſtentatas? At Epiſcopi ex Illyricanis Græciſque regionibus Neapolim cum appellerent in Boncompagni ſinu, egeſtatibus ſuis munificentiæ portum inuenerunt.

Sat his delibatis, ad aliud præſtantius munificentiæ genus faciamus gradum, ad Paſtorales curas, ſollicitudines, laboreſque, quibus Draco ille vigilantiſſimus populorum neceſſitatibus excubabat. Quæ ſanè liberalitas in animos, & non auri, argentique, ſed laborum, ſudorumque pretioſa prodigentia, quàm excellentior illa alia liberalitate ſit laus, præſertim in Eccleſiæ Principe, nemo non videt. Nam primi illi generis humani Paſtores Apoſtoli, nulla in populos dona, curas, labores, ſanguinem contulere. Facilius verò reperias ex principibus viris, qui aurum, quod ijs ſuppetere ſolet, alienis vſibus eroget, quam qui curam, & laborem impertiat. At Cardinalis Boncompagnus omnes curas in hanc vnam curam intendere, diœceſim frequentiſſimè luſtrare, dum initiandi ſacris

Ordi-

Ordinibus examinabantur, adeſſe ſemper, opimis ſacerdotijs non ſanguine aut commendationibus, ſed doctrina & pietate conſpicuos viros ornare, habere Synodalium teſtium aures, oculoſque in populi mores intentos quamplurimos, quando nuntiaretur aliquod inſigne flagitium, ad remedia ſtatim, conſilia manuſque omnium prouocare, ſplendidum quemque per religioſos viros, per ſe ipſum, interdum per Regni Proregem a praua conſuetudine abducere, viliora capita, per aſpera minarum, carceres vincula coërcere, interea tamquam ipſe reus illorum criminum eſſet, precibus, lacrymis, ſanguine à ſe pœnas, à Deo veniam alienis ſceleribus poſtulare; nihil denique prætermittere, quo Vrbem illam Vrbibus populiſque refertam, priuatæ domus diligentiâ contineret.

Sed quoniam naturâ imbecillitatis humanæ frequentiora ſunt peccata virtutibus, præſtantiſſimus Antiſtes, qui neque illa radicitus exſcindere, neque has pro arbitratu inſerere poſſet, cum etiam ægri plerumque corporis vires, impetum animi dies noctéſque intenti, aſ-

ſequi non valerent; eò adductus eſt vt enixis precibus à Deo rogauerit, aut paſtoralis muneris vacationem, aut vitæ: cum ſe inutilem ſeruum ac nihil agere dictitaret. Expoſtulare tecum hic libet Neapolitanæ Vrbis Regnique nomine Franciſce, tuamque hanc vocem, vt veritati iniurioſam redarguere. Tu ne, nihil agebas, quo Neapolitanam Eccleſiam regente, ditata paupertas, fortunata miſeria, ſeruata pudicitia, & cuſtodita eſt? qui cogitationes, curas, opes, in publicas vtilitates inſumebas, vt pluſquam ducenta aureorum millia, quæ de reditibus tuis in tabulas accepti relata ſunt, in pauperum, & Eccleſiæ commodum numerentur expenſa. Tu ne nihil agebas? At vide, ne dum modeſtiæ ſtudio obſcuritati faues tuæ, gloriæ obtrectes alienæ, tot videlicet Antiſtitum, quos ſanctiſſimè vixiſſe, quos magna feciſſe prædicamus, quamuis medium tuarum laudum curriculum non attigerint; neque totos reditus in Eccleſiam, pauperesque profuderint, neque ære ſe prægrauarint alieno, vt egenos ſubleuarent, ad æmulationem Caroli Borromei, cuius
ſan-

ſanctitatem altaribus cœteri, tu etiam exemplis coluiſti; nec denique tantam conſtantiam fortitudinemque in Eccleſiæ immunitate, purpuræque maieſtate tuenda repræſentarint.

Reuocate vobis in mentem A.A. magnanimum Cardinalis Boncompagni reſponſum, cum ſuadenti cuipiam, vt regio genere Principi quædam exhiberet officia aulicæ ſeruitutis: negauit fas eſſe purpurato Eccleſiæ Principi, aulicum agere alterius maieſtatis, quã diuinæ. Recordamini, quando petenti Proregi, vt ſemel ſupplicationis pompæ piam ſaltationem (quam ille rebus in ſacris vetuerat) admiſceri pateretur, conſtantiſſimè renuit, & ſeueriſſimi Antiſtitis auctoritas, cum obſequio pij Principis, modeſtiaque certauit. At fuit aliquando tempus, fateor, quo Boncompagnus nihil ageret, cum tamen nihil agendo aliorum operoſa negotia ſuperaret: quando rogatus, vt cataphractorum equitum centuriam, quam eius frater Dux Soræ ductauerat fratris filio poſtularet à Rege facilè impetraturus, recuſauit. Cum ab eodem Rege addictos in Hiſpania ſibi reditus

per viginti annos triginta quinque mil. lium aureorum ſummam exigere noluit. Cum Alcalenſi Duci operam ſuam pollicenti, vt Cardinalis Boncompagni nomen inter eos purpuratos referretur, qui à Rege ad ſupremum honorem poſtularentur; non ſolùm repugnauit, ſed eum principem, ne poſthac hiſce de rebus auderet, admonuit. Verùm vt omnia prætermittam, veniamque ad pulcherrimam eius facinorum coronam, nihilne egiſti Boncompagne, cum Veſuuio infernis ignibus in populorum perniciem conflagrante, tu Cœli ardoribus in ſalutem armatus, funeſtiſſimas montis flammas, tuæ charitatis incendio ſuperaſti. Lucebit æternitatis annalibus conſignatus is dies, non ſole ſuo, ſed Boncompagni gloria clarus, quo Veſuuius offuſa ſupra Neapolim circumiectaſque regiones, nocturnis tenebris nigriori caligine, inſonanteque quaſi claſſico horribilis tonitrui, mugitúſque exitiabilis, iam ingruentem tempeſtatem crebro ſubſultu tremoreque, Ciuitate, tectiſque trepidantibus; mons ille delicijs olim, nunc excidio nobilis, in horrendas re-

rum

Google

rum formas, omniumque malorum inſtrumenta conuerſus, ad ruinam pulcherrimæ Vrbis, cinere, aquis, flammis, ſulphuris riuis, ſaxiſque crepitantibus veniebat. Prodijſti pro grege tuo, Paſtor, contra illas naturæ an inferorum minas? nudiſque pedibus ante ſupplicantes populos gradiens, D. Ianuarij ſanguinem, quem manu geſtabas, in oppoſitum montis extuliſti, ſignoque crucis ter execratam feralem illam procellam repreſſiſti primò, dein reieciſti, mox inclinatam, profligatamque in mare proximum præcipitaſti. Nonne tunc Ianuarius è Cœlo, Tu in terris, tu dolens, ille beatus, ille fortitudine ſua, inuictus, tu innocentia ſecurus, ille Martyr, tu Virgo, vterque ardentiſſimis apud Deum precibus, & caritate, Neapolitanam Vrbem ab extremo occaſu liberaſtis. Ille ille tibi aduocatus à cœleſtibus ſedibus adfuit, conſortique glorioſi laboris, opes, vireſque ſociauit. Cur enim à te, & pluſquam ſeptuaginta viris (vt fama fuit) pro tuis ædibus eſt viſus? cur te adorante? nonne exempla Magni Gregorij ſub peſtilentiæ finem Angelum aſpicientis, qui

gladium in vaginam reconderet, renouaſti? Non potuit illa nubes ſunerea eius clariſſimi ſanguinis purpuram ferre, tuæ lilium pudicitiæ non potuit, timuit cinis feralis in comparationem venire aut illius fortitudinis, aut pœnitentiæ tuæ, flammas peccatorum vindices, cruor ille beatus, & tuæ populorumque lacrymæ reſtinxere.

Sed quoniam ea luctuoſa tempeſtas licet Regni Neapolitani capiti pepercerit, membra tamen lacerauit, grandem Boncompagno benefaciendi materiam præbuit iniurijs ſuis. Statim enim lectiſſimos viros cum ingenti pecuniæ ſumma in diuerſa ſummiſit, vt omne genus hominum in tanta calamitate adiuuarent, pauperes alerent, ægros Neapolim in Xenodochia, virgines in Parthenones adducerent, templa diruta, araſque reficerent, & ſi quos mortales (qui ſane fuere non pauci) illa vis calamitoſa ruinarum & cinerum obrutos ipſa ſepultura extinxiſſet, ingratis illis tumulis erutos, & ſepulchris non ſuis, in chriſtiana buſta reconderent. An ne igitur tunc Boncompagne nihil in priuatum, nihil

in

in publicum commodum contuliſti? Otioſa fuit charitas tua? moliebaris nihil? nihil agebas? O Veſauij cineres & reliquiæ lacrymabiles ruinarum! O Neapolitanæ Vrbis fora, ò tecta, ò viæ illius ardentiſſimæ charitatis teſtes! in ſqualentibus verò campis vos aræ, vos ſacella, vos templa inuoco, quæ Boncompagni liberalitate reſtituta pulchriùs nunc ſtatis, & beatiùs, quàm olim miſerè deformata concidiſtis, hanc vocem redarguite. Vos cadauera mortuorum, quos ille cum ſeruare non potuiſſet viuos, occupante remedia improuiſo malo, extinctis impendit chriſtiani tumuli lacrymoſa ſolatia; vos ſaxa, quæ nudo calcauit pede, altaria, quæ lacrymis, pauimenta, quæ reſperſit ſanguine, aſtra, quæ precibus fatigauit, hanc vocem redarguite. Sed quid ego muta, & inanima compello? Huc Orphanorum greges, huc pauperum cœtus, huc religioſorum ordinum agmina, huc puellarum chori, quicquid eſt Neapoli calamitatum, circumſiſtite veſtrum Paſtorem, Educatorem, & Patrem redarguentes hanc vocem, abire molientem retinete, vos vnos

mortalium habet ille chariſſimos: veſtra mala, veſtra damna oſtendite, abijciet citius beatitatem ſuam, quam miſeriam deſtituat alienam. Verùm, heu miſerum me, nec ille videtur à propoſito diſceſſurus, & ſemel emiſſæ irreuocabiles preces perniciſſimo volatu aſtra tranſgreſſæ, iam fortaſſe quod popoſcerant extorſerunt. Extorſerunt ſanè; cum enim Cardinalem Boncompagnum diuina in ſe beneficia demiſsè prædicantem dicere meminerim, nihil à Deo ſe precibus ardentiùs oraſſe, quin exorarit: non impetrata paſtoralis muneris abdicatione, ſupereſt vt impetrauerit mortem. Ita illud Africanæ Eccleſiæ lumen Auguſtinus, cum Hippone à Vandalis obſeſſa, chriſtianiſque vexatis; aut finem malorum petijſſet, aut vitæ, conſimili dono, morte potitus eſt. Et verò ægro Boncompagni corpori, imbecilliſque delicati Principis viribus, omnia ſubtracta vitæ ſolatia, congeſtæ ſollicitudines & curæ, tum contemplatio aſſidua rerum cœleſtium & mortis, mortem adcclerauere. Quam vbi aduentare ſenſit, imminentem pugnam meditatus miles, totam virtutum

ſuarum aciem ſub charitatis ordinatam vexillo, in occurſum venientis, erexit. Cnm enim illi ſemper animus præſens & erectus fuit, tum præſertim biennio ante mortem, quo morbo diuturno æquè ac graui conflictatus eſt; conſcientia adpropinquantis exitus, multò excitatior extitit atque alacrior; haud ſecus quam in arena gladiatores vbi plurimis ſtillantem vulneribus ſanguinem vident, proximumque pugnæ occaſum ac vitæ, in vltimos ictus quod reliquum eſt ſanguinis animæque generosè conſumunt.

Hinc illa excidebant dicta, emotum ſibi eradicatumque iam dentem, ſine vllo dolore caſurum. Et ſanè cur doleret, vitæ præſentis tœdia relinquens, qui ſuos amores in æternam transfuderat? Siccis oculis funus fratris filij Soræ Ducis optimi adoleſcentis adſpexerat, illud vnum teſtatus, gaudere ſe quod viuens iuxtà ac moriens, præclara documenta probitatis edidiſſet. Cumque muſicis delectaretur, aleretque more Principum eius facultatis nonnullos, poſt Veſuuianum incendium hoc etiam voluptatis innocentiſſimæ genus repudiauit, impenſas

ſas

ſas in vſus pauperum collaturus: neque tantum externarum rerum, ſed quod magis eſt arduum (quis enim carnem ſuam odio habuit) proprij corporis amorem exuit: cum enim adfixus lectulo ingentis mali mole premeretur, non ſine decremento virium, incrementoque doloris, penè vſque ad extremum diem quotidianum ſacrarum horarum penſum à ſe exigere perſeuerauit: infracta ſummis morbi cruciatibus patientia, ſuper fabuloſam Heroum fortitudinem inuictus, quorum Principem indomitum gigantibus & monſtris Herculem à morbi violentia ſuperatum legimus apud Tragicos per montem Oetam miſerabiliter eiulantem. His alijſq; virtutum præſidijs ſuccinctus, mortis impetum irruentis excepit: verum illa non tam fuit concertantis ſpecies, quàm triumphantis. Tam plena vitæ imitamentis mors erat, tam pulcher languentis oris pallor, tam lætus in moriente dolor, eaque pugna corporis ab anima diſcedere reluctantis, tam plena pacis. O voces illas beatiſſimas, quibus nihil à Dæmone nihil à conſcientia ſibi exprobrari teſtatus, hymniſque

que

que cœleſtibus perſonans iam partem futuræ felicitatis implebat. Vbi verò vox defeciſſet, defixis in Chriſti morientis effigiem oculis, per illos ſuos animi affectus, fidem, ſpes, amoreſque loquebatur, donec ipſa exitus hora, ſublatis paulliſper oculis, quæſitoque quaſi cœlo, iterumque in Chriſti imaginem reclinatis, compoſito in mortem vultu, placidiſſimè conquieuit.

At peracto extinctæ virtuti plauſu, tributum alterum perſoluendæ ſunt lacrymæ. In quo ordiendum ſanè à luctu propinquorum eſſet, niſi Cardinalis Boncompagnus ſuæ beneuolentiæ ſignificationibus noſtrum Ordinem propinquis æquando, nobis dolendi acriùs, quam ſuis, dulce ſimul & amarum priuilegium conceſſiſſet. Miſerum me, qui ſponte euntia in lacrymas corda irritare coner! Occidit Franciſcus Cardinalis Boncompagnus, Patres, Greg. XIII. Nepos, ſapientiæ, innocentiæ, caritatis, virtutis omnis, clariſſimum lumen, cuius obitus luctuoſus nobiliſſimæ Ciuitati Regnoque, cum eo nomine nobis vbertim lugendus eſt, quo inſignis extincta virtus deſle-

fletur ab omnibus bonis: tum peculiares alias inſuper cauſas dolendi inſatiabiliter habemus. Ita enim reputate Patres: ſi Cardinalis Boncompagnus moriens adfirmaret (quod apud nos Sacramenti fidem haberet) adfirmaret, inquam, ea veſtrum Ordinem charitate complector, vt ſi hæres mihi extra domum, extra ſanguinem quærendus eſſet, vos potiſſimum legerem, nonne tam honorifico iudicio nos omnibus anteponenti præterquam ſuis, plurimum nos debere gloriaremur. Nunc verò cum non tantum alienis Societatem prætulerit, ſed etiam æquauerit ſuis, itaque ſibi caram eſſe voluerit hæredem inſtituens, vt illos quos ſanguinis, ac virtutum merito ſemper habuit cariſſimos: ſeu quia ei conſtitutum erat, Eccleſiæ Principem hæredem in domo Dei quærere, non tantum in ſua, vel vt hæreditarium Gregorij Tertij decimi animum hac legata hæreditate teſtaretur, vel quia ſic Societatem amauit; quis autem cauſas vnquam ſatis reddidit amoris ſui? cum inquam tam grande propenſiſſimæ in nos voluntatis argumentum ediderit: quo amore à

no-

nobis redamari par eſt, quibus lacrymis eius deſiderium exulcerare quo gratiſſimorum animorum ſenſu memoriam eius, qui prior dilexit nos, prædicatione, litteris, monumentiſque propagare debemus?

Nota ſunt peruagata ſunt, toto terrarum Orbe diſperſa ſunt Gregorij Tertij decimi in noſtrum Ordinem beneficia, hæ moles, Collegia, reditus, priuilegia, quæ omnia Franciſcus Card. Nepos non amplitudine munerum & fortunæ, ſed animo certè adæquauit. Nam Gregorius nobis magna contulit de immenſis, Franciſcus dum nihil ſibi ac ſuis reliquum fecit, vniuerſa donauit; ille viuens, hic moriens, quando amoris ſenſus tenerrimus eſt, cum diſſimulatio nulla velat beneuolentiam, quin tota ſe prodat, quando cariſſima menti occurrere ſolent, recordatus eſt noſtri, Societatem amplexus eſt, ſcripſit hæredem.

At ne conſumpta in priuatum dolorem voce, deficiam ad luctus explicandos proximorum, ad te conuerto orationem meam, Excellentiſſima Boncompagnorum gens, Franciſci virtute, famaque

que, quam glorioſa, tam mœrens. Haud enim ſtatuere auſim, vtrum glorioſius fuerit, tantum peperiſſe lumen, an calamitoſius amiſiſſe. Cur enim diſſimulem ne dolorem vobis augeam, maximorum Virorum & Principum de Cardinali Boncompagno iudicia? Quos honores tantis augurarentur meritis, ſi auitæ famæ, propriæ virtuti, commendatio acceſſiſſet ætatis. Sed quamquam veſtra familia ob ſuorum exaggeratiſſimam probitatem principum, immortalis eſſe meretur, & erit; illorum tamen fragiles annos, & nimis breues generis humani amores meritò lamentamur. Nam poſt ſerum illum auiti fulgoris occaſum, nullum Eccleſiæ ſidus vobis eluxit diu, purpura nulla conſenuit. An quia vt honores veris lilia, roſæque citiſſimè extinguuntur, ita ſpecioſiſſima quæque virtutum decora vix oſtenſa terris, ſtatim repetenti cœlo redduntur? Et quamuis Gregorij Tertij decimi vita ſatis prolixa, haud ſatis tamen prolixus fuit (vt nec vllus longus videri ſolet) optimi Principis Principatus. Quin immaturos obitus aliorum etiam Principum deploratis. En

pau-

paulo ante Franciſci Cardinalis exceſ-ſum;eius fratris filium *Soræ* Ducem,maturæ prudentiæ, ac virtutis adoleſcentem amiſiſtis. Erit igitur Boncompagna domus, perpetuum theatrum, in acerbis funeribus,exultantis mortis? At Neapolitana Ciuitas non ornamentum, & decus, vt familia, non præſidium, amoreſque ſuos, vt noſter Ordo,ſed hæc omniaque alia ſimul, ornamenta, præſidia, fortunas, ſpes, amores, decora erepta, erepto Cardinali Boncompagno lamentatur. Quorum omnium vt abſtergam fletus, & altè adacta vulnera aliquo delinimento conſoler; erit Neapolitanæ Vrbis ingenti ſolatio exiſtimare, illum prope ſupremum rerum Principem fore ſibi felicitatis curatorem in Cœlo, quem experta eſt tam fidelem propugnatorem in terris. Erit familiæ leuamentum doloris, poſt Gregorium XIII. Franciſcus Cardinalis in ærario domeſticæ gloriæ repoſitus; quamuis enim ex illius hæreditate ad ſuos lacrymæ ſolæ peruenerint, in poſſeſſionem tamen magni decoris, per huiuſce Principis virtutes auitis additas, Boncompagna domus intrabit; perſua-

det

det enim gentes omnes ea opinio: idem eſſe de Boncompagna ſtirpe naſci, ac fore ſalutare ſidus Orbi terrarum. Noſter denique Ordo deſiderium mœroremq; ſuum, tanti iudicij, amoriſque ſuauiſſima recordatione mitigabit: maior enim quàm fortaſſe vulgus hominum putat ex Franciſci Cardinalis teſtamento ad nos peruenit hæreditas: palam quippe factum eſt: Gregorium Tertium decimum & Franciſcum Cardinalem Boncompagnum pijſſimos, ſapientiſſimoſque Eccleſiæ Principes, qui ſibi commendatiſſimam generis humani ſalutem eſſe voluerunt, de Societate ſenſiſſe perhonorificè, & in amoribus habuiſſe. Dixi.

IN

IN

PARENTALIBVS

QVÆ

OPTIME DE SE MERITIS

ANNO CENTESIMO
grata Societas celebrauit

IN FARNESIANO TEMPLO

ORATIO

PERACTIS Regi ſeculorum Deo gratijs; gratias à nobis expoſcit genus humanum. Neque enim ſi humani generis Parens, per homines in nos beneficia deriuauit; propterea non eſt habendus honos fluminibus, cum Oceanum adoramus. Solem minorum luminum genitorem veneremur licet; eſt tamen, & ſua gratia ſideribus, quæ mutuata de ſole luce, noctis tenebras conſolantur. Præclariſſimus vniuerſitatis auctor, ſocietatem in lucem edidit, mortale genus excepit, ille patrem, hoc nutricium ſe geſſit, & per diuerſa terrarum excitatis domibus, & collegijs, vbique ad fouendum noſtrum ordinem, inſpiranti cœlo, conſpirantes terræ, liberum iunxere ſuffragium. Quamobrem, ſi gratiarum actionem ſummo Numini, dedicato octo dierum ſpatio, æternitatis ſuæ ſymbolo incluſimus; nunc etiam tres dies pro

trium charitum numero, ad gratias peragendas benefico hominum generi definiuimus: anguſtum quidem præ vno liberalitatis ſeculo terminum, ſed honorem, qui ampliſſimus haberi potuit exhibemus, dum in hac ſignificatione gratiarum, ordine proximos à rerum omnium Imperatore Deo collocatos, ſimili quoq; veneratione coniunximus. Atque vtinam quemadmodum tunc, in ſumma templi parte, numen ipſum candida fruge velatum collocauimus, vt noſtra gratorum animorum obſequia diuini corporis præſentia exciperet, & conſecraret: ita modò, tot gratiſſimæ memoriæ Pontifices, Cæſares, Reges, Reſpublicas, Ciuitates, viroſque nobiliſſimos, quorum ſingularia in noſtrum Ordinem promerita extiterunt, in hoc theatrum potuiſſemus inducere; non hanc cænotaphij molem, non Adæ, atque Euæ mortale genus adumbrantes imagines, non illas mortes humanæ neceſſitatis indices ſuſpenſa trophæa de profligata mundi maieſtate geſtantes, non reliqua ad ſolatium mortalitatis erecta virtutum immortalium ſimulacra

ſta-

ſtatuiſſemus. Sed quoniam à ſeruitute corporis manumiſſos animos,eodem reuocare, nec licet, nec dulcedinem libertatis expertis iucundum accideret, ſi liceret: præſtabilius duximus, bipartitò noſtram gratiarum actionem diuidere, & altera parte redemptionis pretia ſalutares per hoſtias tranſmittente, beneficis animis ita gratias agere, vt etiam referamus: altera parte præconiorum,ac laudum, in profundum obliuionis ruentem beneficiorum famam reprehendere, reſarcireque mortalitatis iniurias; vt beneficentiſſimæ animæ vtrobiq;per nos ampliſſima præmia conſequãtur,in cœlo beatitatem, in terris gloriam. Cum verò ſacras ad aras per hoſce tres dies Societas operata,alterum vti ſperare licet,effecerit: alterum,qui ante me dixerunt Patres magna ex parte ſint conſecuti, ſupereſt, vt poſtremus ego & ingenio, & arte dicendi, illuminatæ iam gloriæ laudationis meæ tædam accendam. Age verò, vt inſtitutæ orationis iter, quam breuiſſimè, & per compendia conficiam: nec ad noſtrum debitum ſubleuandum, nec ad veſtram laudem augendam,expe-

ditiorem inuenio viam, animæ beneficentiſſimæ: quam ſi gentes omnes, nationeſque veſtrorum in nos meritorum ad participationem vocem, oſtendamq; liberaliſſimæ veſtræ charitatis vberibus, totum vos admouiſſe orbem terrarum, dum noſtri ordinis homines, inſtitutione domeſticæ diſciplinæ, omnium gentium vtilitati mancipatos, publicos vniuerſitatis ſeruos, & adminiſtros ſalutis animarum, veſtris beneficijs cumulaſtis. Licet enim quantum volumus nobis blandiamur, haud certè vobis vt finis, ſed vt inſtrumenta placuimus, eaque voluntatem in nos veſtram ratione temperaſtis, vt quemadmodum catulorum greges ali ſolent in ſpem venationis ferarum, ita Societatis alumnis, annonam decerneretis, ac tectum, non quibus oſcitanter, otioſèque ſibi viuerent, ſed vnde ad alienam ſalutem ſtrenuè procurandam erumpentes, vitam pariter ac mortem publicis vtilitatibus deuouerent. Ac propterea, quamuis munificentiæ veſtræ vbique gentium tot eluceant impreſſa veſtigia, quot in quatuor terrarum orbis partibus noſtri ordinis Collegia, domuſ-

que

que viſuntur; nimis tamen parcè, anguſtèque de veſtræ laudis maieſtate ſentirem, niſi liberalitatem, quæ eumdem cum rerum natura terminum habuit, veſtrorum animorum amplitudine facerem arctiorem. Terrena Societati donaſtis, ſed cœleſti conſilio; opulentos diuitiarum theſauros aperuiſtis, ſed opulentiora charitatis æraria ad genus humanum locupletandum laxaſtis. Liberalitatis olim gloriam, magnus Alexander, potentiſſimus Xerſes, generoſus Cæſar ambiuit; ſed hic vt patriam, ille vt Græciam ſubigeret, prior vt inanem nominis gloriam venaretur. Vos liberalitatis veſtræ pretijs, non ſpecioſum gloriæ decus, non dulcem priuatæ vtilitatis illecebram, ſed commune, publicumque vniuerſitatis bonum redemiſtis, vt amplitudine munerum Cæſarum, Regumque magnificentiæ non impares, ita longè præſtantiores conſilij excelſitate planè diuina. Illud intereſt inter ſummi Numinis, hominumque beneficentiam diſcrimen; quod homines in priuata ſæpius, Deus in publica commoda ſemper collineat. Quod ſi Cœlum ſplen-

dido ſiderum ornamento conueſtiuit; non id ea gratia fecit, vt ſibi tantummodo placens, ea pompa in gyrum, quaſi chlamydatus ſuperior mundus incederet; ſed regionum immortalium decora, eſſe voluit beneficia mortalium; quantumque illis confert ad ornatum, ſpecies floridiſſimæ lucis: tantundem nobis ad ſalutem, ſecretò confuſas luci prodeſſe virtutes; vt intelligat Orbis terrarum, ſe non tam cœleſtium orbium ambitu, quam diuinis muneribus coronari. Vos vos etiam generoſiſſimæ animæ, mirum quantum veſtrarum cogitationum ſublimitatem ad æmulationem numinis erexiſtis, pulcherrimamque diuinitatis notam veſtris muneribus affinxiſtis, dum ijs noſtrum ordinem decorantes, motum indulſiſtis, ac vires, vt alios omnes ad ſalutem commoueret; ſplendorem, ac lucem, qua commodis præluceret alienis, commodaſtis. Quamobrem, ſi quid vel ad illuſtrandum numinis cultum, vel ad depellendam ſuperſtitionis, errorumque caliginem, vel ad excitandas faces doctrinarum, Societas profuit Orbi terrarum: non tam id noſtræ adſcribendum

in-

induſtriæ, à qua, iſthæc in ſe collata profitetur, quam in veſtræ beneficentiæ cenſum referendum, vnde nos habuimus, vt ea conferre poſſemus. Quotus enim quiſque perſoluit cœlo grates, ob arcanam illam vim, quam terrarum animantibus largè, ſeminibuſque diſpenſat? quis ſoli, de luce, qua fruimur; terræ, cuius muneribus veſcimur; aëri quem reſpiramus? Quin potius hæc ipſa tanquam riuulos, non tanquam bonorum ſcaturigines, venerantes, in inſtrumentis felicitatis humanæ numen adoramus mortales: eiuſque fulgentiſſima bonitas perſtringit animos, dum oculis fulgor Solis irradiat; illius dulcedinem delibamus, dum terræ frugibus paſcimur; dum aëris ſpiritum ore ducimus, diuinæ reciprocamus auram liberalitatis. An tanto animorum prouentu lætaretur Europa, oborta melioris lucis aurora reſpiraret oriens, gauderet occidens antiquæ ſuperſtitionis occaſu, ad ſeptentrionem emolleſcentem errorum glaciem, ad meridiem charitatis æſtum ſolis ardoribus terrentiorem miraremur, per immenſos aquarum tractus nauigantem Chriſti fidem,

dem, cæruleum in gremium, tota veſte aduocaſſet Oceanus, & infinitis illis inſulis è fundo emergens comprehendiſſet: niſi vbique terrarum, ac marium ſocietatem laborantem priuilegia Pontificum munijſſent, fouiſſent patrocinia Regum, ac populorum, liberaliſſimorum Principum, & ciuitatum ſtipendia, opes, reditusque ampliſſimi ſuſtentaſſent? Quamobrem ſi ad exemplum Romanorum funerum quamdam triumphi ſpeciem præſeferentium, poſſem vobis apparatum pro meritis quam magnificentiſſimum ſtruere, quale Deus immortalis, ſpectaculum in hoc theatrum, quam inuidioſam omnibus Imperatorum triumphis pompam inducerem? Veniret ex varijs gentibus, nationibusque collectus populus beatorum, quos per omnes huiuſce ſeculi annos, Societatis labor peperit Cœlo. Emineret Martyrum chorus ſui purpura ſanguinis efflore-ſcens, qui laureas virtute partas, tamquam acceptas vobis referens, huic ſumptuoſiſſimæ moli attexeret in coronam. Sequeretur vterque Indus, alter aurum, charitatis argumentum, offe-

rens,

rens, alter innocentiæ ſymbolum, margaritas. Candidos animorum vultus, orique diſſimiles in adamante exhiberent æthiopes; illuminatas doctrinis mentes Sinarum, atque Europæ populi in chryſolitis, piropiſque ſuſpenderent, & ne longior ſim euagando per ſingulos, clauderet agmen ſodalitas, quæ Cœlò recepta iam degit, eo cœteris omnibus vobis obſtrictior, quo cœteros omnes, & ſeipſam debet: & lilia, palmaſque ſuas promiſcuè congeſtas, gratiſſima animorum pignora, iſtum dedicaret ad tumulum; vt quantùm virtutis ad honeſtandas terrarum orbis partes abundè ſuffecit, tantum laudis, ac decorum hac vna in mole coaleſcens, vobis auctoribus præfulgeret. Neque ſolum Orbem terrarum veſtris beneficijs debere contendo, quicquid noſtri ordinis laboribus, ſudore, ſanguine eſt aſſecutus: verum etiam (cur enim recuſem humanam imbecillitatem fateri?) verum etiam, ſi quid in tanto operum conatu defecimus, ſi nondum extrema penetrauimus ſcythæ, nondum tota Africæ deſerta luſtrauimus, nec adhuc Auſtralis eræ littora,

no-

noſtris purpurauere cruoribus; nec geli-diſſimo Septentrioni ſubiectum glaciale mare, imperuium nauibus, calcauimus pede; hæc inquam quæ nos negligentiæ arguere poſſent, veſtram laudem non minuunt, tam enim vobis debet Orbis terrarum, quod Societas præſtitit, quam quæcumque per vos adiuta vel præſtare potuit illa, vel debuit. An ſi defectus & maculas in ſideribus aliquando notauimus, ſtatim tanquam mutilam, & decurtatam beneficentiſſimi Numinis bonitatem culpamus? & non potius intelligentes defectibus non obnoxiam effectricem illam mentem, in cuius conſpectu illuſtriſſima mundi decora munda non ſunt; ita ſua peccata imputamus aſtris, vt ſua laus illibata conſtet auctori?

Quanta mihi ad orationis occaſum iam delato, in arctum compellenda, veſtræ laudis enaſcitur ſeges! Dum præterita, dum præsētia euoluo, mens futura iam præcipit, & perceptis edocta fructibus diſcit, quantum ſibi poſſit in poſterum polliceri. Iuuat, iuuat in venturas ætates cogitationes immittere, & erupturam feracitatem anticipare iam animo, &

nun-

nunquam defecturum de veſtra liberalitate vtilitatis Autumnum Orbi terrarum augurari. Nempe vt frugiferæ arboris ſecus decurſus aquarum plantatæ, probata ſemel indole, reſponſuram ſæpius fidem, licet ſuis cultoribus imputare: ita nunc non ſolum exacti, verùm etiam ordiendi ſeculi prouentus omnes, atque adeo ſpes ipſas futuræ fœcunditatis vobis debemus. Occidentibus alijs, alijs ſubnaſcentibus ſeculis, nūquam deſinent vobis gratiarum actiones perſolui, quia nunquam omnibus ſeculis, materies gratiarum veſtræ beneficentiæ fructus ſunt deſituri. Quin ſub occaſum Orbis terrarum conſummata mortalitate, non tam veſtrorum beneficiorum emolumenta ceſſabunt, ceſſante iam mundo: quàm nouus illorum fructus germinabit corporū immortalitas: qua ſimul omnes conueſtiti quotquot veſtræ liberalitatis ope, cælum tenebimus, in illa beatitatis Regia ſeculum auſpicabimur æternitatis: nouumq; præcinemus coram panegyricum gratiarum, facti vobis (vt in ſimili argumento aiebat Apoſtolus) gaudium pariter, & corona. Dixi.

IN DEI MC

RERVM FVTVRARVM ADV

ORATI

H DIEPAR

AJ VRBANV

Digitized by Google

LAVRETANA
DOMVS
AVLA COELESTIS
ORATIO
AD EMINENTISSIMOS
S. R. E. CARDINALES
HABITA IN TEMPLO
SALVTATÆ VIRGINI SACRO

ſint, neque tam crebrò qualecumq; hoc beneficentiæ genus vſurpant, ne regalis potentia & ærarium exhauriatur; vnde decedere neceſſe eſt quidquid in plures principes cogerunt, vt propterea in longo vitæ curriculo paucos à Regibus ad principale faſtigium elatos ſit numerare. Verùm ex altera parte Pontifex Romanus terrarum potens, ac cœli, ſæpe vna die, atque hora, multa purpuratorum paria edit in lucem, Principes ab omni dignitate florentes, terris iuxta, & ſyderibus venerandos, nulla potentiæ diſtractione, theſauri diſpendio nullo, annuos reditus, ad ſuſtentandam Eminentiſſimæ dignitatis fortunam Eccleſiæ ærario ſuppeditante, quod immortale eſt, quia hominum morte ſuppletur, neque interire poteſt, niſi æternum viuat genus humanum. Ita Vaticani Rector imperij, dum tam nullo negotio Principes creat, ſe vicarium probat illius cæleſtis Pontificis, per quem Reges regnant, qui ſuſcitat de puluere egenum, vt ſedeat cum Principibus in ſolio gloriæ. Quod ſi Pontificiam aulam perpetua Principium prole felicem tanti iure merito

ſos parare gradus conſcenſuris, vt præcipitent altiùs, laureas nectere triumphales in cupreſſum migraturas, redonare ſalutem vtiliùs languentibus, vt capita febri optandæ ſubducta laqueo reſeruentur, aut ferro. Procul à Lauretanæ Virginis aula hæc liberalitas, aut decurtata nimis, aut donis funeſta mortiferis: in exitium ſupplicum illa non exoratur, quæ gaudet potiùs vel inuitos conſeruare amanter difficilis, quam pernicioſa largiendo, temere cupidos inimica facilitate peruertere. Primus occurrit è Lauretanæ Virglnis aula miſſus in imperium magnum Petrus Card. Barbus Eugenij Quarti ex ſorore nepos, qui rerum potitus Pauli II. nomen accepit. Extincto Pontifice Pio, cum ſummo honori maturior, quam plerique Purpuratorum capacitate mentis, experientia, virtute Barbus haberetur, ſpei verò tantum quantum cæteri haberet, Romam, & comitia cogitabat, cum lue repente afflatus, quæ Anconæ multos mortales corripuerat, ſeriò cepit pro rebus ſummis nouiſſima expectare. Sed æſtus grauior cogitationum, quàm febris vrgebat

inter

inter ancipitia fluctuantem. Nam quid ageret? Subſiſteret curandæ valetudini intentus? Interea loci comitia præteruolabant, quibus ipſe ſi abeſſet, adhuc ſalutis incertus, ſpei cladem certiſſimam præuidebat. Iret morbo reluctante? ſed iactationem exitiabilem canebant medici, metuendumque ne ad perniciem feſtinanti, ſpei & curarum terminus fieret pro Vaticano ſepulcrum, vt non ſemel contingit. In hoc rerum articulo deprehenſus Petrus, cui tardè conualeſcere inſtar mortis videretur, ad altiorem opem, ad medentes alios confugiendum exiſtimauit. Lauretum quindecim millia paſſuum ab Ancona iter cum ſe deportari iuſſiſſet, eiectis arbitris in Deiparæ cellam inducitur. Hic humi fuſus in preces mouente (vt aſſolet) in ea regia pietatis cor Virgine, rerum humanarum amore ſe exoluit, omnemque in Deum, & patronam amantiſſimam tranſfudit, cum ægri corporis, atque animi angores, curas, ſpes, metus, vota, omnia in Virginis manu reponeret. O indulgentiſſimæ parentis bonitatem clientium ſuorum voluntatibus, vſque ad de-

licias

icias ſeruientem conſultiſſima liberalitate! Quamdiu Petri animus ambitionis lue leuiſſimè affectus tenebatur, minùs idoneus videbatur, quam vt virginalis benenolentiæ donis frueretur; vbi verò mens corporis languore conualuit, dignus eſt viſus, quem ſummus honor incurioſum, & verecundantem ambiret. Quemadmodum Salomoni omnia bona cum ſapientia obuenerunt, ita clienti ſuo cœli Regina cum bona mente, additamenta duo pretioſa contulit vitam, & prncipatum. Ferunt quippe precibus inſiſtentem ſomno correptum, viſam in ſomnis Deiparam, incredibili decore, ac pulchritudine, in illo fulgore gēmarum, ac luminum radiantem: quæ Cardinalem ægrum aſpectu ſuauiſſimo, plus voce recrearet: bono eſſe animo iubens, ſanitate in præſentia, propediem regali ſacerdotio potiturum: alterum alterius vadem, & pignus fore, ideo conualeſcere, vt regnaret. Sub hæc verba, cum ſomnus viſum, morbus Petrum deſeruiſſet, quæ admiratio, quale gaudium, quam profuſus in grates animus occupauit? quanta populi admurmuratio?

quæ aulicorum lætitia, cum Principem ſoſpitem & valentem reciperent, quem pene funeratum Virgini obtulerant, cum lacrymas, quas dolor præparauerat, gaudium daret? Quid iam prædicem celeritatem mirabilem, qua Romam & conclaue Vaticanum ingreſſus in primis comitijs, in ſuffragatione prima Petrus Cardinalis Barbus Summus Pontifex renunciatur? Vt agnoſceres ſuffragatricem occultam, ſed gratioſiſſimam, illi beneuolentiam Orbis terræ Senatorum, & ſtudia conciliaſſe. Certè tantam feſtinatæ electionis præcipitantiam admiratus Card. Beſſarion Collegij Princeps, de Purpuratorum Patrum conſenſu ordine vnumquemq; interrogandum exiſtimauit, num ea electio probaretur. Cum omnes ad vnum affirmaſſent, conuerſus ad Petrum: Patres (inquit) te ad ſupremum orbis terræ ſolium vocant, & illorum ego nomine rurſus Pontificem dico. Neque extra gloriam tuam fuerit iſta Chriſtianæ reipublicæ cauſa, per me repetita ſuffragatio, ne vllo vnquam tempore ſuſpicio incideret, electionem tuam plus habuiſſe impetus, quam conſilij.

filij. Nunc ſalubris hæc mora effecit, vt liqueret etiam illum impetum fuiſſe de cœlo. Hæc Beſſarion tanquam Principem faceret, at ille ſe iam pridem deſignatum Pontificem in aula Virginali meminerat. Nam vnde tam prona Senatorum inclinatio in meritum quidem Principem, ſed pleriſque ætate iuniorem, octo ſupra quadraginta annos non amplius natum? quàm rarò auditum, vt in primis comitijs omnia iuſta ſuffragia in electionem legitimam conſentirent? vt refrigeſcente impetu adhuc Patrum conſenſio duraret, nec vnquam electi Principis cœlo ſuaſore pœniteret? vt denique Paulus ipſe Pontifex verbis iuxta factiſque magnificus tantum Deiparæ munus prædicatione gratiſſima teſtaretur? tum in operoſa templi Lauretani fabrica, tum in litteris honorificentiſſimis, quibus fauore Lauretanæ Virginis erga omne genus humanum declarato, de ſupremo capite reticendum non putauit, ijs verbis; Et nos in perſona noſtra experti ſumus.

Liceret hic Paulo II. Cardinalem Ceruinum, Marcellum poſtea Secundum adiun-

adiungere: Eo ſacris in æde Lauretana operante, columbam eximij candoris cunctis admirantibus viſam, modò caput Principis circumuolantem, modo in ara, aut ſacrificantis manibus quieſcentem, denique non niſi diuina re peracta cum populo, tamquam è grege fidelium vna videri vellet, abeuntem: poſt nunciatam verò Iulij Tertij mortem, rurſus ibidem litanti Ceruino, Dei matrem cœlitum circumfuſam globo apparuiſſe, futurum Summum Pontificem indicaſſe, eam rem Marcellum occultam non habuiſſe exoratum à ſuis, qui commotionem in vultu notauerant, quin publicis tabulis, quæ adhuc extant, vota conſignaſſe ſuſcepta pro amplificanda Lauretani templi & vrbis gloria, niſi propera mors deſtinata præclariſſima peruertiſſet: verùm hæc libaſſe contenti, nam & Marcellus ipſe principatum delibauit, reſtitutam potius ante Marcelli & Pauli tempora Pio Secundo in Lauretana æde valetudinem narrandam ſuſcepimus, vt appareat non ſolum è virginali aula Pontifices deſignatos Romam accedere coronandos, ſed ipſos ex vrbe Romana

Pon-

Pontifices Lauretum profectos,vt vitam, gloriam, dignitatemque conſeruarent. Pius II. religione ſapientia reipublicæ cura, inter clariſſimos Pontifices numerandus, contra Turcarum tyrannum capta Conſtantinopoli tumentem, in Mantuano concilio totam ferè Europam conciuerat eloquentia illa mirabili, qua cum de ijſdem ſæpius rebus, & peruulgatis diceret, tam ſplendida ſententiarum ſupellectile orationem ornabat, vt ſemper roſas fundere, & aurum, argentumque cudere videretur. Icto fœdere inter Pium, Venetam Rempublicam, & Burgundiæ Ducem, reliquo Chriſtiano Orbe Pontificijs litteris ad ſocietatem armorum euocato, iam magna vis militum cruce inſignium Anconam confluxerant, ibique Romanum Pontificem, & Venetiarum Ducem cum claſſibus, ingentes commilitones expectabant. Sed Pio cum longè importuniore aduerſario fuit decertandum, priuſquàm legitimum hoſtem nanciſceretur, cum febri videlicet, quæ tuſsi moleſtiſſimæ fœderata, corpus ſenio, & laboribus fractum ita quaſſauerat, vt ne ad iter quidem,

dem, nedum ad bellum aſpirare pateretur. Quid igitur Pius? damnata ſpe a medentibus, ad virginalem Laureti aulam ſupplicem libellum non tam pro ſalute, quam pro belli copia mittendum cenſuit, fiducia tam mirabili, vt aureum calicem ſignis aſperum, ac gemmis adornaret, votiuamque inſcriptionem elegantiſſimam ipſe dictaret, ante quàm voti reus, vota perſoluens. Quantus Romani populi ſtupor, quando vi morbi remittente poſt votum, in purpuratorum Patrum concilio Pontifex ſexagenarius militiæ ſuæ arcanum grande vulgauit? quanta beneuolentia, famaque ſui animos audientium impleuit, cum bellicæ profectionis rationes oratione magnifica expoſuiſſet? Iturum ſe, vt pudorem incuteret Chriſtianis Regibus, minueretque nimiam vitæ, ac deliciarum dulcedinem, cum aſpicerent ſenis Pontificis maieſtatem Chriſtiana pro republica itinerum, & præliorum aſpera non detrectare. Scire, incertos caſus peregrinationis, & belli Romam intercluſuros fortaſſe reditum, ad cœlum aditum non negaturos. Quot annos ætati ſuæ ad

tu-

tumulum iam vrgenti adijci poſſe? Hos deuouere reipublicæ quam glorioſum? Si ad imitationem ſe accingant Principes, operæpretium futuram ſalutem Chriſtiani orbis, & communis hoſtis exitium. Sin minus, hæſurum in republica magnum exemplum, & ſi non ſuo, alteri ſæculo profuturum. Intereſſe omnis æui, vt mandetur annalibus, Pium Paſtorem generis humani ſuſcepto pro ouibus bello immori voluiſſe. Vniuerſam poſteritatem magis vnius Pontificis lethum, quàm multorum vitas approbaturam. Exoratam à ſe Virginem, vt ſalutem pro Filij nomine pugnaturo redonaret. Se cœlo bellum pro fide, mortem ignauæ vitæ præponere. Deliberarent interim purpurati patres, vtrum conſortes periculi, & gloriæ, an aliorum Principum deſidiæ, ac dedecoris haberi mallent. Se illis non aliam neceſſitatem, quam exempli ſui, & ruborem relicti Principis imponere. Et impoſuit ſane. Quis enim in ipſis Pij II. commentarijs, quæ de rebus ſui temporis exarata poſteritati mandauit, velut in ſpeculo non contemplatur, illos generoſi ſpiritus

Principes concentu pari magnanimitati Pontificis reſpondentes. O Senatum Heroum ne dicam, an cœlitum! Qui flens flentem inter dicendum Pontificem cum excepiſſet, exclamauit vniuerſus: Te ſequemur Pater, neque deſeremus, quò nos cumque duxeris, quando cœleſti paſſu ad immortalitatem vadis. At qui Pium huc vſque ſuſtentauerat Lauretanæ Virginis fauor, tam grandia documenta humano generi præbentem, num iter ingreſſum cum Romanorum procerum, & Purpuratorum comitatu, ſpatio in medio dereliquit? An potiùs quò Laureto, eo ſaluti quotidiè reddidit propiorem? quo vberiùs auram vitalem ſibi è Lauretano cœlo reſpirantem, eo longiùs reliquias febris importuniſſimæ abigentem? donec in aulam Virginalem morbo liber ingreſſus, votiuis muneribus ſoſpitam Diuam, in conſpectu Ducum, & Principum, Principum pater, & ſummus ducum Imperator adoraret. Ita Pius II. in aula Lauretana, vitam recepit, vt exemplum relinqueret Pontificiæ charitatis, contra fidei hoſtes pro Chriſtianis populis animam ponentis. Iu-

lius II. ab eadem aula impetrauit, vt mortis depelleret pericula, victorias, & triumphos reportaret. Reuocate vobis in mentem pontificiæ ditionis illis temporibus imaginem; quam confuſa ciuilibus diſcordijs eſſet, quam externis quaſſata bellis, quam diſtracta & lacera per tyrannos: vbi verò Iulius arma capiens cum Principatu, in auguſtiſſima æde vota pro victoria nuncupauit, vt non ſolùm ſuas Eccleſiæ vrbes, vrbibus pacem reſtituerit, verùm etiam ambigua belli, & certa vitæ diſcrimina propulſarit. Niſi fortè caſu, non diuino conſilio factum putatis, vt cum expugnationem Mirandulanam, quæ à Ducibus trahebatur præſentia ſua vrgeret, bombardæ ictus prætorium, in quo Pontifex Senatum Purpuratorum habebat in caſtris, ingenti fragore deturbaret, eoque ſtatim Lauretanam Virginem inclamante, globus immanis innoxio lapſu Pontificis prouolueretur ad pedes, quaſi ad proximum Deo caput adorandum viam tanto terrore, ac ruina quæſijſſet, vt profligandorum vbique à Iulio hoſtium, & ſubiugandi Pontificio Imperio totius Or-

 bis,

bis, omen grande figuraret. Quamobrem ferream illam rubigine obſitam pilam ante aram Lauretanæ Virginis pendentem pro trophæo, in illuminanda Deiparæ gloria concedere nihil crediderim tot aureis,gemmeſque donarijs, & præſertim argenteæ immanis ponderis cruci, quam gratiſſimus Ponrifex pro victoria cum triumphali carmine dedicauit.

At ſi Principes Sacerdotum ab aula Lauretana victricibus decorati palmis inclaruere, num indonatos abijſſe putabimus magnos claſſium & exercituum Imperatores? An obliti ſumus Naupactæam victoriam Actiacæ non imparem Lauretanæ Virgini fuiſſe attributam? tum à Pio V.Summo Pontifice, qui hora imminente fatali, qua Chriſtiani orbis ſalus naualis aleæ certaminis committebatur, continentes in Deiparæ cella vigilias agi, ſupplicantium agmina induci, precum miſceri conflictus, quibus Chriſtiani cum cœlo bellamus & vincimus, imperauit, tum à noſtris Ducibus, militibus, Turcarumque mancipijs, quorum partem longè maximam

cum

cum ſigna canerent ad Laureti Præſidem Diuam pro victoria vota fudiſſe conſtabat. Cum vincula nimirum, & compedes non retinerent pium curſum fidelium animorum ad Virginem, neque interfuſum cum tempeſtatibus pelagus retardaret. Nihil eſt igitur, quod miremur, ſi virginale claſſicum audientes venti, qui hactenus Turcarum claſſem lenibus flabris promouerant, vt in certamen, & cladem inducerent, inita pugna ſtatim reflantes palam Chriſtiano nomini militare ceperunt, cum turbines haſtas barbarorum infringerent, cum auræ ſagittarum vulnera non exciperent, cum fumum bombardarum in oculos, tela in ora hoſtium retorquerent, cum denique dorſum maris tranquillum eo vſque porrigerent, donec hoſte cæſo ad ſatietatem, Turcarum cadaueribus ſupra triginta millia, centumque amplius confractis nauibus, effuſaque gaza totius Orientis, inexplicabilem vndarum voraginem ſaturarent. Certè Ioannes Auſtriacus vniuerſæ claſſis Imperator, & ingens illius victoriæ momentum, media hyeme Lauretum ad ſoluenda

da vota non contenderet, atque vbi ſanctiſſimi templi tholum aſpexit, aperto capite, eo imbrium cœlique rigore ire non pergeret, niſi partam in prælio ad Echinadas, Occidenti ſecuritatem, Orienti terrorem, ſibi gloriam immortalem Lauretanæ Virgini debere teſtaretur? An Marcus Antonius Columna Pontificiæ claſſis præfectus, alterum Chriſtianæ Reipublicæ fulcimentum, partem Lauretani itineris ſupplicis habitu confeciſſet, & aulam virginalem priùs quàm Vaticanum de barbaris triumphare voluiſſet, niſi Romam Hiſpano, & Veneto fœderatam, conſilium, claſſes, copias ad pugnandum; Lauretum, Diuos, ventos, animos ad vincendum præbuiſſe fateretur? Quid Chriſtiana mancipia? nonne aliquot millia poſt victoriam Lauretum profecta liberatricem ſuam inuſitato, ſed glorioſo diadematis genere, catenis, & compedibus coronarunt, cum inſtrumenta ſeruitutis in monumenta donatæ à Virgine libertatis commutarent? Solemne fuit antiquiſſimo æuo, vt quibus in locis honeſtiſſima de hoſtibus victoria reportata eſſet, in ijs proſpera virtute

geſtæ

geſtæ reipublicæ monumenta ſtatuerent marmoreas, & æneas moles,aut ferream armorum congeriem cum inſcriptionis honore Victoris titulos ad ſempiternam memoriam propagaturæ. Vt quam longiſſimè trophæa ſe ſe in conſpectum darent, eminebant in montium iugis, in camporum æquoribus, faſtigijs turrium ſublimè pendebant, in mari,littoribus,aut ſcopulis affixa legebantur,fabularum nautis præterlabentibus argumentum. At poſtquam ſubactis nationibus Regibuſq;, Romani populi maieſtas in tantum creuit, vt vnius vrbis theatrum par Orbi terræ cenſeretur, ſi qua externis in oris feliciter adminiſtrata bella, præclara hæc fortitudinis honeſtamenta depoſcerent, nuſquam trophæa libentiùs quam Romæ à Ducibus excitabantur, vt in excelſa, illuſtrique mundi arce magnificentiùs collucerent. Hic forum & roſtra Imperatorijs manubijs ornata, togatis quiritibus bellica ſpectacula renouabant, figurati certaminibus & victorijs arcus, bellorum exuuiæ, truncis affixæ loricæ, cum bucculis è fracta caſſide pendentibus, Ma-

riana trophæa de marmore, Claudia è torquibus gemmatis, & Auguſti gloriæ fluens aureus Nilus, inter columnas nauali ære ſurgentes. Tam ſplendidum morem, quo per generoſæ ſobolis laudes, Regina Vrbium Roma triumphabat, ſicut alia pleraque, ætate inueteratum, & extinctum reuocare videtur auguſtiſſima Deiparæ domus, dum paſſim ſpolijs barbarorum, captiuis armis, & perdomitis lunæ vexillis decoratur, dum aureas & argenteas præfert imagines fortiſſimorum Regum, Ducumque victricia ora referentes; dum catenas indices libertatis, ferreos globos innocentiam ſuam Reginæ cœlitum debentes, & petitas, perfoſſaſque incaſſum Thracum ſagittis loricas oſtentat, vt eadem hoſtilium ſint inſignia dedecorum, & virginalis monumenta gloriæ, atque horrida periculorum imagine renouata, obleꝗent animos iam ſecuros, inſtrumenta terroris.

Sed quid ego vetera perſequor, ſi trophæis abundamus recentibus, atque viuis? En hoc tempore ſub auſpicijs virginalibus glorioſiſſimè militantem Venetam

netam rempublicam, ornamentum Europæ, fundatum in aquis terrarum, & vrbium miraculum, alterum Italiæ oculum, & exemplum Romanæ libertatis; quæ cum Turcarum tyranno ſextum iam annum bellum gerit, quantum impar amplitudine imperij, opibus, copijſque, tantum magnanimi Senatus, & militum virtute ſuperior. Tenetis memoria, vix elapſo proximè anno ſolemnia ſacra Lauretanæ Virgini deuouiſſe, cum ſtatim auditi Conſtantinopoli terræmotus, tumultus, cædes Principis, tranſitus rerum, barbari exercitus, & claſſes peſtilentia, ferro, igne conſumptæ. Quòd ſi potentiſſimo Aſiæ Regi, obſiſteret ſolùm, repugnaretque, ea tamen mora inundantium in Europam armorum, compreſſioque efferueſcentis Orientis, in tanta inæqualitate potentiæ, pro magno triumpho putaretur. Cum verò violentiſſimo tyranno ita reſiſtat, vt victoriæ propior, quam cladi ſit, cum vnius iacturam vrbis abundè compenſent expugnatæ in Dalmatia validiſſimæ arces, in Creta depulſi, fugati, occidione deleti oppugnantes exercitus, in mari

claſ-

claſſes aut demerſæ, aut inflammatæ, profectò vbi magnificè prædicauerimus Venetos in hoc bello perfeciſſe, quantum implere humana virtus poteſt, quid quid ſupra eſt, id totum Lauretanæ Virgini acceptum referamus.

Iam verò ſi aulæ quondam Romanæ præcipuum decus ferebatur, Reges nationibus dare; ſi aula Pontificia non ſemel tantum maieſtatis vindicauit, cum Cæſares Occidenti redderet, & ampliſſimis regnis Reges imponeret: ab aula Lauretana non modò regnare iuſſi ſunt Reges, quod magnum, ſed humanum eſt; ſed commodata cum regno vita, & ſpiritus Regibus, quod diuinum. Non vidiſtis ex auro ſolido votiuum infantem gemmeis inſignitum coronis, Regis Galliarum, quem viginti annorum preces extorſere, monumentum planè Regale? Non audiſtis Ranutium Parmæ, ac Placentiæ Ducem, & Maximilianum Bauariæ Electorem voti damnatos ob impetratam ſobolem regnaturam? Anno ſuperiore venerati non ſumus in altiſſima Septentrionis arce regnantem clariſſimum Regem: qui paulò ante lethifero

mor-

morbo pene confectus, cum ex proxima Laureto vrbe, ad aulam Virginalem regales miſiſſet preces, & vitæ ſpem depoſitam recepit, & vitæ appendicem Poloniæ maximum regnum. Quis in extremis conſtitutus, Lauretana Virgine patrona, ſumma non ſperet? Cum auguſtus ille Princeps morti iam proximus de tumulo deligendo conſuleretur, cum loculamentum expoliretur ad ſepulturam, cum ad Regem Fratrem irent atratæ litteræ conclamati ſpiritus nunciæ, in aula virginali gratioſum diploma ſalutis exarabatur, cœli Reginæ iuſſu Vaticana Romæ purpura tingebatur, in patrio regno trabea Regalis cum ſceptro, & diademate adornabatur; vt qui priuatus obſcurum tumulum, tenuiſque funeris næniam non auditurus expectabat, mox in fulgentiſſimo Europæ ſolio, gratulantium Regum, venerantium populorum, ſupplicantium hoſtium legationes audiret.

Hactenus Auditores tiaras, diademata, laureas, aulæ Lauretanæ munificentiam enumeraui, vt auribus vulgi deſeruirem, honorum decora, quæ oculis

vſur-

vſurpantur, aciemque mirifico fulgore perſtringunt, in magnis bonis numerantis. Nam ſi ad Chriſtianæ ſapientiæ lucem explorentur hæc munera, & cũ perpetuò manſuris Lauretanæ Virginis donis conferantur, minuta, exilia, nulla, quia caduca videbuntur. Vbi nunc Pauli II. magnificentia, & pompa? vbi Pij laborioſa gloria? vbi Iulij victorioſa felicitas? Quorum cineres vix æuo noſtro ſuperſtites, ſerior ætas ſuis cum ſepulchris abſumet. Spatia verò temporum, quæ regnarunt, ſi modò computentur, omnes Marcello ſunt pares, cuius imperium menſem non adæquauit. Sed neque Superioris æui triumphales Duces fatalem neceſſitatem vincere potuerunt, neque noſtro ſeculo dominantes potentiſſimi Reges, quantumuis diuturni, æterni erunt, neque hominum ſupra vulgus dignitate Eminentiſſimi Principes vulgarem ætatis humanæ modum excedent. Quamobrem illa veriùs magnifacienda munera exiſtimo, quæ ab aula Virginali pro ſalute immortalium animorum conferuntur, criminum expiationes, expulſiones vitiorum, incremen-

menta virtutum, atque his omnibus reſponſuram, velut imago voci reſonat, cœleſtem gloriam. Siquidem nimio plus eſt, animorum miriadas in lethalibus noxis conſepultas, quotidiano Lauretanæ Virginis miraculo, ad vitam diuinæ gratiæ reuocari, quam morbis, & morti eximi millia corporum recaſura. Multò præſtat diſſolui Dæmonum iugum, captiuitatemque vitiorum, quam Turcatum tyrannidem à populorum ceruicibus propulſari. Longè diuinius beneficij genus habetur, Regibus, & Pontificibus ſummis, qui cœlum alijs aperire dicuntur, cœlum pandere, quam homines in principalè ſolium, aut Pontificium collocare. Nam humana felicitas, quantumlibet intendatur, vix eò creſcit, vt miſeriæ nomen amittat, ſæculorum ſpatia quam longiſſima, ad momenta æternitatis non aſpirant. Si ergo humanæ dignitatis ornamenta ſpecie fugaci oculis blandientia contingat obtinere, cœleſtes citra mendacium ſpecioſos honores ab aula Lauretana ambitione pijſſima depoſcamus, pro exareſcentibus laureis, ſemper virentes optemus, pro fragili-

bus

bus Purpuris, incorruptas & viuaces, non ſumendas, aut ponendas arbitrio popularis auræ ſecures, inuiolabiles faſces, perennes conſulatus, verè perpetuas dictaturas, & coronas æternitatis gyro definitas, ſi quid poteſt æternitatis ambitu circumſcribi.

LAV-

LAVRETANA DOMVS
COELVM TERRESTRE

Nouum, & inauditum prodigium fecit Dominus AA. cùm in alienum nomen,& gentem naſcendo migraturus Rex cœli patriam quæſiuit in terris. Nazarenam domum elegit, Matris ſuæ, & majorum natalem ſedem, in qua ipſe conceptus, & educatus Nazarenus diceretur, maluitque de patria ſua cœlum facere, quàm cœlum habere pro patria. Cùm ergo infinitis ante partibus cœleſti nobilitati inferiores eſſemus, per vnam domum emerſit gloria terrarum, & cœlum vel coæquauit, vel anteceſſit. Potuerat quidem nullo negotio Deus, quemadmodum de Iudæa in Italiam tranſtulit, patriam domum in ſublime elatam inter ſydera collocare, æquiori iure, quam fabulæ veſtricem heroum nauim mendacio conſecrauerunt: ſed glorioſius fore putauit domui

ſuæ,

ſuæ, ſi cœleſtibus ditata prærogatiuis maneret apud mortales,& tanquam cœlum in terris coleretur. Cęleſtis hæc nomenclatura, & dignatio, quam vt ſatis amplam patrio tecto mercedem perſoluit Deus, ſatis amplum erit argumentum laudationis meæ; qua ſi oſtendero Lauretanam Domum præcipuis cœli dotibus, pulchritudine, æternitate, motu, & virtute condecorari; erunt in ſimul gratiæ perſolutæ illorum pietati,qui Lanretano cœlo nuper circumferendo cœlitum miniſteria cùm exhibuerint, videntur mihi iure merito terreſtres Angeli ſalutandi.

Age verò ſuprema cœli laus eſt, vt diuini Numinis Regia pulcherrima, ſempiterna, ampliſſima cenſeatur. In cœlo ſedes eius cecinit diuinus Vates; neque diſſentit naturæ vox Ariſtoteles, cœlum Dei domicilium appellans; vt ſileam Poëtarum Principes Homerum, atque Heſiodum, quorum alter canit cœleſtia tecta inhabitantes Deos: alter Iouem ab alto tonantem, colentem excelſiſſimas ædes. Sed neſcio an validiùs externis auctoritatibus, hanc veritatem men-

mentibus ingerat ipſa natura, quæ non vocis magiſterio, ſed tacito ſenſu, mortales ſemper imbuit, vt ſupplicaturi oculos attollerent in ſublime,& quamis ignotum ſibi, tanquam Deum, & Dominum quicquid in cœlo regnat,adorarent.Hoc videlicet merebatur cœleſtis ædificij maieſtas, & pulchritudo, hoc elegantiſſimus ſyderum ornatus, vt regiam nullam parem Imperatori Mundi Deo, præter auream cœli domum, & ſtellis illuminata palatia cenſeremus. At æterno æris robore ſolidata conſtantia cœleſtium orbium,& illa compages, vel ob duritiem, vel ob altitudinem elementorum iniurijs impenetrabilis, nationibus perſuadebat vniuerſis, illum eſſe ſolum Deum, rerumque potiri, qui arcem ſyderum, & cœleſte Capitolium obtineret. Tam inclytis cœleſtis domicilij dotibus, pulchritudine, & immortalitate, terreſtre Lauretanæ Virginis cœlum nobilitari contendo. Quid enim?deſideratis ornatum? Syderibus cœli gemmis, gemmas opponimus ſtellas terrarum. Superbiſſimis illis aulæis, quæ præter fundum natiuæ ſaphyri,auro Solis, argento Lunæ re-

ſplendent; conferre audemus Virginalis ædis mundum, cui ditando, quidquid pretioſi terra gignit, & Oceanus, ſuperfunditur. Illis facibus ſempiternis inexhauſto lucis fulgore, cœleſte tectum ornantibus, aureos, argenteoſque lichnos conferimus, quibus Lauretanum cœlum dies, noctesque lucentibus decoratur. Quod ſi corporibus paſci æthereas flammas, renouariq; cœli lumina nutrimento terrarum aliqui credidere, his certè cereis, & facibus non muta terreſtris elementi natura, ſed hominum pietas alimenta diſpenſat. Adeoque ſi quemadmodum corporum, ſic animorum imagines, oculis cernerentur, liceret intueri in Lauretana æde non tam gemmarum, quàm virtutum lucentia pretia, non tam oleo nutritas lampades, quàm affectibus, & cum votiuis tabellis amores ipſos gratiſſimorum pectorum, deſideriorumque vota ſuſpenſa. Sed quid ego imprudens ornatum ſyderum tanquam proprium attribui cœlo, oblitus, quoties cœleſtes flammæ cœleſtis Regis dignationem imitatæ, ad Lauretanam domum deſcenderunt: quoties aut circum, aut ſupra virgina-

ginalem tectum duxerunt choros; quoties in intima æde, ante filij, & matris imagines, vna cum gemmis, & facibus, ambitioſa pietate fulſerunt. Manſiſſetq; perpetuò, opinor, ſua ſyderum cohors in ſtatione terreſtris cœli, niſi ſuſcepti muneris cura reditum vrgeret ad ſuperos, vt orbi terrarum ſuis in cuſtodijs præſiderent.

At pulchritudinem cœli, vtcumque æmulari terrena poſſe videntur, perennitatem non ita. Neſcio enim, quo fato in hoc theatro mortalitatis, quæ dignitatis, & pulchritudinis plus, ea minùs viuacitatis habent. Damnoſa quid non imminuit ætas? nullaque non dies formoſi ſpolium corporis abſtulit: Poëtæ cecinere. Reuocate animo moles, quæ fundamento inferos, tecto ſuperos tangere videbantur, nunc inani nomine, & ſola fama durantes. At Lauretana domus hoc etiam coelum æmulatur, quod inuiolata, tot ſæcula durando vincit. Quin ipſo cœlo ſingulari prærogatiua quodammodo euaſit auguſtior: nam quemadmodum Chriſto Domino, & magnæ genitrici glorioſius fuit, immortalitatem

induiſſe, non vt naturæ donum, ſed vt præmium virtutis: ita terreſtri huic cœlo ſpecioſius videtur tantorum hoſpitum fatum ſortiri, & adoptata potiùs, quàm ingenita immortalitate florere.

Quid ſi non defuere, qui crederent obnoxium corruptioni etiam cœlum? Ne ſcilicet puderet in poſterum neceſſitatis humanæ, cùm cœlum, quod vitarerum eſt omnium, mortis legibus teneretur. At quicumque illos error decęperit, ſeu notatæ in Sole maculæ ſuas labes, ſeu quædã extincta ſydera ſuas cœlo mortes ineſſe perſuaſerint; Cœleſtis ſanè immortalitatis fides diuiſa opinionibus fluctuat, cùm Lauretanæ domus æternitas non tam argumentis, quàm miraculis comprobetur. An Deus Optimus Maximus tam ſeueris pœnis vindicaret, vel vnicum lapidem, aut modicum cœmentum è ſanctiſſima cella detractum, niſi ſuæ domus integritatem ſibi, perennitatemque cordi eſſe voluiſſet? Quin eiuſdem æternitatis noſtri teſtes ſunt oculi, dum Lauretanam domum pluſquam ſexdecim ſæculorum ætate prægrauatam, caſuræ ſub imagine conſtan-

tem

tem vident, & ſine fundamentis perennantem: Nec ſine ingenti mortalitatis ſolatio ijdem oculi, perpetuam aliorum corporum ſtragem intuentes, & occurſantis vndique mortis aſpectibus funeſtati, gaudent in Lauretano cœlo ſe vnicum reperiſſe ſimulacrum, & pignus promiſſæ etiam corporibus æternitatis.

Amplitudine, fateor, nec dubium eſt vincimur. Sed quid refert, ſi cœlum capacitate ſuperamus? Quid enim prodeſt ſua cœlo amplitudo, ſi, Salomone teſte, non capit Deum? Quid nocuere Nazarenæ domui anguſtiæ, ſi corporatum Numen incluſere? O nimis arctam immenſitatem cœleſtium orbium, quæ ſuum comprehendere non valuit Authorem! O latiſſimas Lauretanæ domus anguſtias, quæ immenſum Numen & potuerunt capere primæ, & capi poſſe docuerunt! Et ſanè non tam ædificij magnitudo domum nobilitat, quàm hoſpitis magni fauor in ea ſuam Maieſtatem includentis. Hinc illa inuicti Macedonis magnifica vox; ſe daturum nobilitatem præſentia, & periculo ſuo ignobilibus locis. Hinc illæ Panegiriſtæ ad ſuum

Imperatorem bláditiæ: Veniet tempus, quo poſteri viſere, & viſendum tradere geſtient, quis ſudores tuos hauſerit campus, quæ ſomnum ſaxa protexerint, quod tectum magnus hoſpes impleueris. O facundiæ adulatricis ipſius temporis, ad quod prouocauerat, teſtimonio redarguta mendacia! Ecquod in Danubij nunc ripa Traiani monſtratur hoſpitium? quis campum, in quo ſudauerit, caſtra vbi tetenderit, tectum quod habitauerit, ſupplex adorat? immò quis quærit? quis omninò non negligit? Nobis, nobis, hæc licet de Lauretana domo veriùs, ac magnificentiùs prædicare. Quot enim ad illam ex omnibus terrarum partibus confluunt populi, vt viſant, & viſendum minoribus tradant, quænam ſedes, præter cœlum Numini ſummo placuerit? quo, & quam arcto parietum ambitu contentus fuerit ad habitandum Deus, quale tectum protexerit ſub Luna verſantem Diuinum Solem?

At ſanctiſſimam cellam ingreſſis, quæ ſunt corda tam dura, vt non colliqueſcant in lacrimas, ad aſpectum loci viſu, & me-

& memoria tam dulcis? Hiccinè eſt locus, inquiunt, in quo cœleſtis legatus Virgini conditiones expoſuit magni connubij, & annuit illa ſecura iam pudoris? Hæc ſedes colloquij in omnes ætates memorandi, cuius opus fuit immixtus homini Deus, vindicatũ genus humanum, deſolati inferi, cœlum impletum? Sed alij ad ſuauiora cogitanda reuoluuntur, dum intra eos muros peractam à Dei filio infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutis florem, totam, præter extremum triennium, ætatem recordantur. Et dum dubitant, quam parietum partem per occaſionem, aut filius, aut mater tetigerit, omnes lateres grauidis fletu oculis luſtrant, ad omnes applicant conſecrandas manus, omni lapidi venerabundi oſcula infigunt. Hinè parietes, aiunt, primos vagitus exceperunt Virgunculæ Deum pariturae? Hi voces audierunt informes, & rudes infantis Verbi, quod linguas infantium facit diſertas! ijdem diuinis interfuêre ſermonibus filij grandioris cum matre de humano redimendo genere colloquentis? Hi denique, poſtquam ad procurandam ſalutem

 ter-

terrarum diſceſſit Chriſtus maternis pulſanti ſuſpirijs, virgineis etiam cantibus ſonuêre, cum ad leniendum filij deſiderium mater, & conſolandam orbitatem ſuam canticum Domini caneret in terra aliena. Beatiſſimi parietes, ò ſi ad innumera miracula etiam illud accederet, vt voces illas dulciſſimas poſt tot ſæcula Echo mirabili redderetis! quamquam & redditis quotidiano ſanè miraculo. Quis enim vnquam ad ſanctiſſimam cellam acceſſit, nec audijt filij, & matris voces non in auribus, ſed in corde, ad quod loquuntur ſuperi, reſonantes? Quoties in parua domo vagantem Deum, dum quaſi furto contemplabatur mater, & diuini Patris candorem in vultu cum virginei ſanguinis parte confuſum notabat, neſcia ſuos duplicabat ardores, & amabat, vt filium, diligebat vt Deum? Interea puer, quid mater ageret, quid cogitaret, quamuis oculis aliò conuerſis conſcius ad cupidam reuolabat, & brachiolis collo datis diuinitatis ægram beabat amplexibus. Quoties propter caminum tam humilem, adhuc vt videtur fuligine veteri tinctum, ad ignem acceſſit ignis,
qui

qui ſemper ardet, & nunquam conſumitur? Deus immortalis! quanta vna domus continebat incendia? Cum Ioſeph amore erga Sponſam Virginem, & Virginis prolem: mater amore filij, filius præter amorem erga vtrumq; æterni Patris amore, & mortalium generis ardentiſſimo conflagraret? Quantis vna domus erat ſcena miraculis? Cùm enim ætatis incremento gratia creſceret apud Deum & homines Dei filius, ij diuinitatis radij emicabant è vultu, quibus gemmari tectum, inaurari parietes videbantur. Quidquid erat ſanctitatis in terris, in funiculis cœleſtis Adæ, in vinculis charitatis, ad hanc domum trahebatur: rapiebantur & cœlites, terreſtre cœlum par alteri cœlo reddentes fulgore, & concentibus ſuis; non ſine fœnore auctæ in terris beatitatis. Vos, vos appello, feliciſſimæ mentes; quoties ea tantum gratia deſcendiſtis, vt aſpiceretis illum, aut illam? quoties filij, & matris aſpectibus ipſa cœli gaudia commutaſtis? Neque tamen poſt hoſpitum diuinorum abſceſſum veſtra in hanc domum obſequia, cultuſque ceſſarunt. Quin illis ip-

pſis

ſis manibus, quibus ab ortu in occaſum cœlum voluitis, terreſtre hoc cœlum ab oriente in occidentem in Dalmatiam primò, tùm in Italiam, & Picenum tranſtuliſtis. Quod ſi cœleſti motu in inferiori mundo regitur quidquid, aut mouetur, aut viget, aut ſpirat, hic etiam virginalis cœli motus tranquillitatem attulit infami ante naufragijs Adriatico mari, quietem populis, corporibus ſalutem, animis beatitatem. Renouata eſt nuper in hac Principe Vrbe illius ſecundiſſimi curſus anniuerſaria memoria, & imago, raram inter fœdos nubibus, & imbribus dies virginali triumpho ſerenitatem largiente cęlo: Vos quoq; beatiſſimæ mentes, & per vos illa, quam communem Dominam, & matrem veneramur, antiqua Italiæ beneficia renouate. Reddidiſtis olim pacem fluctibus, date nunc populis: Auertiſtis procellas imbrium, auferte ſanguinis. Cùm finitimus cęlo æther inuiolata quiete perfruatur; nefas ſit ijs regnis, ad quæ propiùs ſpectat Lauretanum cælum, non eſſe pacem. Eoque magis, quod in ſuperiori cælo maleficis interdum aſpectibus in exitium noſtrum

ſtrum aſtra coniurant, de Lauretano cœlo benigno ſemper obtutu ſalutaria ſydera mater,& filius,altera Luna fidelis, alter Iuſtitiæ Sol genus humanum reſpiciunt. In ſuperiore cœlo tonantem credimus Deum regnare per fulmina, in Lauretano cœlo amantem regnare nouimus per beneficia, vt ſic pace veſtra cælites libeat concludere; cæleſtem Dei domum timemus magis, magis Lauretanam amamus. Dixi.

LAV-

LARETANÆ DOMVS CVM VETERI ROMA COMPARATIO.

CVM ſuperioribus diebus ad memoriam renouandam fauſtiſſimi Nazarenæ domus in Italiam aduentus, ædis nomine ſimulacrum nubibus præcinctum candidiſſimis, facibuſque diem ſupplentibus coronatum inter ſymphoniacos choros, inter populares acclamationes triumphantis in morem incederet: veniebat in mentem antiqua in ouationibus, & triumphis huius Vrbis gloria, quam triumphantem cernere humanorum ſummam votorum Auguſtinus exiſtimauit.

Et quamquam hoc tempore laureas exaruiſſe triumphorum, Romamque illam fuiſſe dolebam, cuius vel aſpectus foret inſtar triumphi, tot nihilominus occurrebant priſtinæ magnificentiæ veſti-

gia,

gia; per quæ negata oculis Vrbis maieſtas animo ſubijciebatur, vt in eam cogitationem, ſpemque deuenerim, me nonnihil in admirationem auguſtiſſimæ domus Lauretanæ collaturum, ſi eam cum veteri Roma compoſitam, potentia, amplitudine, diuturnitate longè præcellere demonſtrarem; ex quo interminata propemodum appareret dignitas domus Virginalis, eam Vrbem ſuperantis, qua nihil maius in rebus humanis fuit; cuius nec ſpatium viſus, nec corda decorem, nec laudes voces vllæ caperent, quæ diuino conſilio electa, vt Cælum ipſum clarius faceret, diceretur.

Neque inſolens, & abſona cuipiam videri debet vnius domus cum maxima Vrbe cõtentio, nam ſi Roma vna domus facta iactatur ſub Nerone Principe, quis nos prohibeat prædicare vnã domum in Vrbium amplitudinem excreuiſſe, auctore Deo? Neque erit extra gloriam antiquæ patriæ veſtræ ò Romani, in cõparationem cum æde cæleſtiſſima venire, & vinci, cum in Romam omnia illius decora tamquam filiæ in matrem redundent; propterea quod in Iudæa olim ſita, nunc

in

in Piceno ſemper Romanæ ditionis pars fuerit, & ipſe Nazarenæ domus, & mundi Dominus Dei filius cenſu Cæſaris ciuis Romanus adſcriptus ab Hiſtoricis memoretur.

Age igitur: quod erat in partitione præcipuum, Lauretanæ domus potentiam, & Romanam componamus.

Roma, cuius vel nomen robur, victorias, & triumphos ſonat, à Romuli caſa, & paſtoralibus culmis in tantam amplitudinem excreuit adnitente cum virtute fortuna, vt, quemadmodum canit Poëta, diſperſis cum Sole manibus Orientem, Occidentemque coniungeret, & fronte molibus, & montibus turrita cælum appetere videretur: terras exercitibus inundans, claſſibus maria contabulans, hæc victorijs inficeret, illas trophæis inſigniret: non alios Imperij, quàm armorum, non alios armorum, quam naturæ fines faceret; aut ſi qua indecora victoriæ pretia ſqualida deſerta, & ſitientes ſolitudines volatum magnanimis aquilis retardarent: Pro arcibus, & caſtellis, animatis propugnaculis, muriſque ferreis prætendentium legionum, triginta millibus militum

litum Hiſpaniæ præſideret, Gallijs, & Belgio ad Rhenum vſque quinquaginta, triginta millibus Germaniæ, totidem Africæ, Illyrio viginti, Siriæ, & Orienti quadraginta: Quingentis roſtratis nauibus omnia maria, omnes oras circumiens, nequid nautæ præter ventos, tempeſtateſque formidarent; adeo vt quadringentis circiter millibus ordinariorum militum terra, mari, fluminibuſque diſpoſitis, ad cuſtodiam ſui, Orbis terrarum excubaret. Quid referam ſpolia, & tributa Regnorum Romanam potentiam adorantium? An erutum ex Hiſpaniæ fodinis aurum, an detractum è templis Gallicanis argentum, an ferrum, dextraſque bellicoſas Batauorum, an Oceani Britannici margaritas, Indicas Baccas, Erithræa corallia, adamantes ex Alpibus, è Bactrianis rupibus gemmas, aurea Hermi, Pactolique ramenta: Cum aris, funeribuſque Romanis germinarent in odorem Panchaiæ ſiluæ, felices Arabiæ trunci lacrimarentur, cum in annonam Sicilia, Aegyptus, Africa meterent, cum in ædes ciuium, & cultum Numidiæ montes nauigarent, ſilueſceret

in hebenum India, nemora ſerum in uellera frondeſcerent, cum per vnam triumphalem portam ingrederentur Aſiaticæ deliciæ, Perſicæ gazæ, Macedonici theſauri, Iudæa ſupellex, Africanæ belluæ, vel candore dentium ad pompam, vel ſæuitie ad cruentas theatrorum voluptates pretioſæ, Corinthiaca Græcorum æra, imagines, ſigna ſpirantia, tanta luxurie, copiaque, quantam capere poterat vorago à Romulo in Veſpaſianum Cæſarem trecentorum viginti triumphorum.

Suſpexiſtis adumbratam velut in tabella Romanæ potentiæ imaginem: Iudices volo vos, vtra ſit præſtantior, iudicate. Ecquod hoſtium genus Roma ſubiugauerit, interrogo? Nonne mortales ex vna fragili maſſa, qui conditionem & naturam vt ferro domari poſſent habebant? Eoſque non coniunctos, nam inuictos experiretur; ſed alterum poſt alterum velut Athletas inſurgentes, ita certamina diſpenſante fortuna; vt dum ſinguli pugnant, vniuerſi expugnarentur. At quanto maior ædis Nazarenæ potentia, in qua Virguncula vna caput

ſer-

ſerpentis tartarei contriuit, caput illud quod Cælo graue, vel cadens ipſa ſui ruina terrarum orbis occupauerat Principatum? Nonne Romanorum victorijs præſtabilior hæc laurea, qua omnium gentium potentiam ſuperare viſa eſt, dum omnium gentium triumphatorem triumphauit? Sed aliud ex alio ſubnaſcitur, trophæa trophæis ſuper eriguntur. Si Roma per alumnos ſuos ortum ſubegit, & occaſum, Lauretana domus per alumnam Virginem erebum ſuperauit, & Cælum: diſrupto inquam, expugnatoque Cælo, cor ipſum, & Verbum diuini Patris aureis amoris vinculis catenatum in terras ad Nazarenæ domus thalamum Virginalem abſtraxit. Abite nunc cum veſtris gentium, & Regum ſpolijs ſuperbiſſimi triumphatores. Quantum libet ingentia nomina maioribus nominibus obſcurant gemini triumphi Virginales in Lauretana domo, alter de Lucifero inuito, & frendente, alter de Deo volente, & amante reportatus.

Quod ſi poſt victam Carthaginem genus humanum à Romanis vinci non puduit: an puderet Orbem terrarum, &

naturam Nazarenæ Virginis potentiæ ſubijci, ſubiecto Deo? Et mirabimur Auditores Piraticas claſſes, alias tanquam in ſcopulum in Venetas triremes impactas, alias exſcenſione in Lauretanum littus facta, ſolo aſpectu templi Virginalis auerſas in fugam? Mirabimur prædonum exercitus offuſa repente nebula Lauretanum templum indignis oculis ſubducente in tantum illuminatos fuiſſe, vt rapacium cogitationum ſcelus votis, donis, lacrymiſque redimerent? Neque tamen has, aliaſque Virginalis ædis victorias clades vlla dedecorat. Procul hinc damnatæ faſtis Allia, Cremera, & Cannæ Romanæ potentiæ funera. Non hanc domum inflammauere Galli, non Gothi, aliæque gentes diripuere, quæ refixis è Capitolio maiorum ſuorum exuuijs vaſtitatem, quam acceperant, Romæ repoſuerunt. Lauretana domus ſemper inuicta ſupra Romæ, & Phænicis fata felicior, nunquam opus habuit morte, vt vitam æternaret. Sed hoſtem fundere, ac debellare pars operum mortalium fuerit, quid illa, quibus omnem naturam excedentibus im-

parem ſe fateatur Romana potentia neceſſe eſt? Ecquando Roma in clades gentium potens, vel extinctos reuocauit ad vitam, vel animæ fugientis curſum retardauit, aut captis luminibus viſum, membris torpentibus motum, corporibus ægris, & mentibus ſanitatem redintegrauit? Nonne iſta legimus; audimus, oculis vſurpamus in Lauretano domicilio quotidiana miracula; & mirabilium operum relicta in votiuis tabellis; ac donis immortalia monumenta? In quibus alijſque nobiliſſimis materie, atque arte donarijs, ſuper Romanorum munerum gloriam illud excellit; quod nullum in Lauretana domo, niſi innocens donum, nec inquinatum neceſſitate, aut ſordibus cum mercede donantium; nullas rapinas olent illa munera, nec deprecantur, neque vt Romanæ diuitiæ paupertate conſtant generis humani. Non hic cruenta Prouinciarum ſpolia viſuntur; non margaritæ repugnantibus matronis cum clade aurium, & digitorum abſtractæ, non aurum notabiliùs pallens, & mærens cæde dominorum. Sed quamuis

Lauretanus theſaurus pretio, & pulchritudine Phænix habeatur in Orbe terrarum; quamuis ſplendidiorem faciant præfixa muneribus auguſtiſſima nomina; longe tamen ſplendidiſſimum accedentia pietatis, innocentiæ, grati animi pretia reddidere in conſpectu Numinis affectuum pondera non metallorum æſtimantis.

Sed video vbi ſe iactatura ſit Romana potentia tamquam omni æmulatu ſuperior; illa amplitudine, capacitateque generi humano pari; cum Roma populos integros, nationeſque Ciuitate donatas excipiens in ſinum, videretur ex Orbe vrbem feciſſe. Pendeo animi AA. an amplitudinis palmam vltro Romanæ vrbi, ædis Lauretanæ nomine deferam; neque leuibus adducor argumentis. Diuina illa maieſtas dum intra Lauretanæ domus ambitum in vtero Virginali coarctauit orbem infinitatis ſuæ, nonne quantum dignationis humilitati attulit, tantum de amplitudinis gloria derogauit? Iuuat igitur iuuat tanta poſt exempla de paruitate, humilitateque gloriari. Parua eſt, fateor, hæc domus,

ſed

ſed numen ex magno paruum incluſit: Anguſta eſt, ſed has anguſtias vt ſubiret Deus, laxitatem cæleſtium orbium poſthabuit. Et non exclamem? O Lauretanæ domus anguſtias Romanæ amplitudini præferendas, ò cælo, cælo ipſi non exæquandam modò, ſed anteponendam dignationem, & potentiam domus virginalis! In cæleſti quippe domicilio Deum in illa gloria viuere ſua natura eſt; in æde Lauretana eumdem geminatis cancellis, & virginei corporis, & breuis domunculæ circumſcribi, miraculum eſt diuinitati tam inſolens, vt cum Dei natura pugnare dicerem, niſi quæ maieſtati diuinæ repugnant, amori congruerent. Poſſem itaque & magis ad voluntatem domus virginalis in dominæ mores abeuntis, amplitudinis gloriam detrectare; ſed quoniam eam hoſpitij mercedem patrio tecto perſoluit Deus, vt ex paruo, anguſtoque ampliſſimum, longeque capaciſſimum faceret, non eſt noſtri obſequij honorem, quem Rex vniuerſorum contulit denegare. Neq; verò tecti, aut vrbis amplitudinem tantum commendat laxitas inſana mœniorum,

quantum ciuium, & habitantium dignitas, proles numero,& virtute egregia, Imperij, gloriæque fines terris, ac ſyderibus terminati. Quanta ex his fontibus Lauretanæ domus amplitudo? in qua nata, & educta cæli Regina ſuo in cæleſtes nuptias aſſenſu reparatum orbem incluſit: vbi trabeam mortalitatis induit immenſum numen, & lacte paſtum virginali infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem exegit; nam vlteriorem ætatem peccata humani generis inuiderunt. Quantis illud beatiſſimum limen celebrabatur agminibus cælitum confluentium,vt apparerent Principibus ſuis, atque è vultibus, in quos deſiderant beati amplius bearentur? Hæc etiam domus capaciore ſinu quam Roma, nationes omnes amplectitur, donatq; Ciuitate non caduca, ſed æterna. Hæc vt Roma, vna die eoſdem ciues, & hoſtes habuit,quin hoſtili criminum nota deterſa,tranſcribit in Dei filios. Hæc magnificentiùs quam Roma,alumnos ſuos pro ſenatoribus reges vocat, regnum animi per moderationem, naturæ per miracula, cæleſte per gratiam aſſecutos. Quanti

ad

ad illam populorum concurſus, quanti Principum, quanta pro tributis votorum & munerum copia, qui cultus, quæ adorationes, quæ lacrimæ, quæ voces hanc ampliorem, charioremque generis humani patriam, hanc omnium gentium non ſolum dominam, ſed & matrem, nec tantum mundi compendium, ſed & cæli, arcem communem ſuperis, & mortalibus, ſalutantes? Si Roma colonijs in diuerſa dimiſſis, ſuum nomen; virginalis domus erectis Lauretanis vbique gentium templis ſuum Numen propagauit. Quin & coloniam ſeſe ferens ab oriente in occidentem tranſuolauit, vt ſi quis ex ipſa ethnicorum, gente, ab altera parte Romam cerneret, & Capitolij ſaxum immobile, aliquando ruiturum; ab altera mobilem, volantemque Nazarenam domum, ac ſine fundamento perſtantem, illa opera gigantum diceret, hæc Deorum.

Hormiſdas è regio Perſarum ſanguine Princeps vna cum Conſtantio Cæſare Romam venit; cumque in vnum cumulum collectam miraculorum vniuerſitatem aſpiceret, interrogatus quid

de Roma ſentiret, generoſa tactus inuidia, id vnum ſibi placuiſſe reſpondit, quòd didiciſſet Romæ quoque homines mori. Aemulæ quippe potentiæ Princeps, cum Romam æternam fore non dubitaret, & faciliùs ſuum Caucaſum, & montes cedere, rerumque naturam ſubuerti poſſe, quàm eam vrbem, ad quam ſolidandam tot congeſtis viuis cautibus, rupibuſque, duriſſima elementa cum humanis ingenijs conſpiraſſent, pro ingenti ſolatio ducebat, quòd in immortali vrbe homines ſaltem mortales naſcerentur.

At fingite Hormiſdam hac tempeſtate reuocatum in vitam Romam iterum viſere. Quid putatis dicturum, cum videret non extinctam illam modo, ſed ſepultam, oculiſque demiſſis humi quæreret non in cælo profligati cadaueris lacrimanda veſtigia? Et alia miſerandum in modum deformata recognoſcens, de alijs dubitaret, alia nuſquam inueniret. Vbinam diceret Capitolia cælo certantia ſuo & templorum culmine, fulgoreque? At gemmas, aurumque diripuerit auaritia barbarorum, num etiam duriſ-

riſſimæ cautes,& arcis, ex quadrato ſaxo coagmentata ſtructura rapaces manus ſentire potuerunt? Thermarum reliquiæ ab ipſa murorum vaſtitate, ambituque noſcuntur; cæterùm nulla lauacra, nulla polito è marmore ſolia; pro pauimento gemmanti nudum, & ſqualens ſolum, atque iterum campus,& herba vbi quam maxima Roma fuit. Deus immortalis! num gigantes fuerunt ij, qui ſingularem ſub omni cælo ſtructuram aquæductuum diſſoluerunt? Per quos cæli nubibus mixtos inuecti amnes Romanorum montium iuga non ſecus ac imam vallem irrigabant? En Tyberim video veteri ſpoliatum honore riparum, vndas agentem inglorias, flebilique penè querentem murmure, de contumacia fluminum, & Oceani rebellantis. Amphitheatrum ſemirutum ſqualore, ſituque marmorum, deſiderare videtur antiquam operis maieſtatem. Quid arcus illos marmoreos plus media ſui parte ſepultos ſubſidere compulit? num cladium inuſtarum pudor? Nam cliuus Capitolinus,& porta triumphalis iure videri deſierunt, ceſſante gloria triumphorum. Hæccine illa eſt Ro-

ma, quæ cognomento Vrbs æterna dicebatur? Has inuidioſi cælo tituli pœnas dedit? eò redacta, vt magnitudinem ſuam nonniſi ruinis teſtaretur, doceretque non ſolùm homines, ſed & vrbes, nec has tantum, ſed & Orbem, vniuerſamque naturam, cum Roma perierit, perituram.

Talia deplorantem Hormiſdam ego interpellarem & dicerem: Deſine queſtus intempeſtiuos ò Princeps. Vtcumque ſe habuerit veteris vrbis fortuna (nos enim recentis Romæ non pœnitet latius Petri clauibus, quam olim Cæſarũ faſcibus dominantis) certè cum altera illa Roma præcipitante, ſpes noſtræ immortalitatis non conciderunt. Intuere Lauretanam domum ſine fundamentis æternùm ſtantem, ſeptemdecim prægrauatam ſeculis, & tamen integram, iam iam caſuræ ſub imagine, perennantem. Romam euerſam trophœum temporis dixeris, hanc domum monumentum, & pignus æternitatis.

At non hæc ſumma gloriarum ædis virginalis Hormiſda: mortalitatis legibus eximi, non ſentire morſus annorum.

Aliud

Aliud habet longè maius, quod te admiratione percellat. Parum fuerit Romanam potentiam tanto interuallo ſuperaſſe, quanto terrenis diuina præcellunt. Parum ſuccollantibus ijs, qui portant Orbem iter aerium cum cæli nubibus tenuiſſe: Ludus, iocuſque fuere exercitus ſolo terrore perdomiti, hoſtiles claſſes ventis militantibus debellatæ: immenſum numen intra ſua viſcera coarctaſſe non fuit ſatis, & cælum obſequioſum ſuo Principi, genus humanum ſuo liberatori ſupplex incluſiſſe. Diſſimulat exactos è corporibus Dæmones, viduatas peſtilentiæ funeribus Ciuitates, Turcarum tyrannos vltioni mactatos, donatos è cælo populis, infantes regnaturos. Nec illud magnificè prædicat, quantum ſuper omnes alias ædes, quarum cultus ſeneſcit in dies, Lauretanæ domus gloria iuueneſcat, ſua vi, ſuo robore nixa. Si Bethlemicum antrum numen hoſpitem, habuit, hæc ciuem. Si patri ſpiritum in Caluaria reddidit, hic accepit, ſi triduo iacuit in ſepulchro exanimis Deus, hic viuens triginta annos eſt hoſpitatus. Silet quantum marmorum ad ornatum

mon-

montes, quantum metallorum terræ, gemmarũ maria ſuperfuderint,quantum ſyderum etiam cælum; cum illuſtres è cælo flammæ circa virginalem tholum nocturnis errauerint choris: parco inculcare, tam rarum in mortis patria,immortalitatis decus,neſcio an cælo felicius nam fuere, qui cælo labes noſtræ mortalitatis adſpergerent: parum inquam fuit ædi virginali, pro pretioſo ornamento parietes, & tectum immortalitate conueſtire, niſi etiam alumnos ſuos redderet immortales. Non de morte corporum loquor, quamuis & hanc virginalis ædis potentia ſummotam diutiſſimè ſcimus,de illa inquam morte immortalium animorum, quæ non temporis puncto, ſed æternitate circumſcribitur. Ex quo ſator mortis Lucifer ab hac domo virginali pede contritus effugit; exulat inde perpetuò æterna mors: ex quo parens vitæ Deus in hac domo hominem induit, vt ſeruaret,fixit ibi domicilium vita ſempiterna. Ite ergo mortales, & lambentes oſculis parietes illos contactu matris, & filij conſecratos primitias beatæ immortalitatis exugite. Si homines Romæ mo-

ri didiciſtis cum Hormiſda, Romanam potentiam ſuneratam videtis: Lauretanam domum æternam cernite, diſcite, quod ſummum potentiæ genus eſt, in ea, & per eam homines non morituros. Dixi.

LAV-

REGIVS ORTVS DEIPARAE.

QVæſtio nobilis diu torſit aulicorum non minus, quàm literatorum ingenia, vtrum præſtantius eſſet ſorte naſcendi, an electionis iure tenere clauum imperij, regnum debere ſyderum ſuffragijs, an populorum. Nam præclarum nonnullis videbatur, vnà cum ſanguine regalem à maioribus purpuram ducere, nullum vitæ ſpatium inglorium, & luce regij fulgoris caſſum aſpicere, eodem temporis momento a ſole hominem, a populis principem ſalutari. Contra diſſerebatur ab alijs, regem natum felicitati acceptum referre diadema, electum imputare virtuti, illum alijs, hunc debere plus ſibi, hunc in animo, illum in venis habere ius regium, illum ſtatim ac naſci-

ſcitur, regni poſſeſſionem haurire cum ſpiritu, hunc ſua virtute diadematum etiam amiſſo regno regnare.

Noſtra non intereſt Auditores, tantam litem diſcutere, quandoquidem in lucem edita virgo cæleſtis, & ſorte naſcendi, & electionis iure Regina, prærogatiuas omnes in ſe collectas vna complectitur, quæ tam natos, quam electos reges diuiſæ nobilitant.

Prima natæ Reginæ prærogatiua, nobilitas; vetus nimirum ſanguis longa heroum, ducum, & regum ſucceſſione transfuſus. Quæ Regina nobilior eſſe potuit hac Virgine, cui exornandæ quatuor annorum millia, quidquid erat dignitatis, ac virtutis, aggregauerunt? Nonne illius nobilitas in ſacræ hiſtoriæ fronte collucet? vt quot progenitores habuit, tot numeret inclytæ nobilitatis authores. Sed quid ego dixi temerè, ſuperiores ætates Deiparæ prætuliſſe lucem, & decus, ſi ab ipſa decus, & ornamentum quadraginta ſecula deriuarunt? Neque enim tam præclarum fuit Virgini naſci de Regibus, quàm Regibus Virginem genuiſſe. Multum fuit, quod hau-

ſit

ſit à maioribus illa, vt generoſa diceretur; plus à Virgine maiores hauſerunt, vt per illā, Deū inter poſteros numerarent.

Solemne Romanis fuit, vt in nobilium virorum funeribus triumphi pompam exhiberent, nec tam emortuales tædas, quàm antiquitatem generis omnem extincti gloriæ illuminandæ præferrent; tale Druſi funus in Cornelij annalibus celebratur; imaginum pompa maximè illuſtre, cum origo Iuliæ gentis Aeneas, omneſque Albanorum Reges, & conditor vrbis Romulus poſt Sabina nobilitas, Appius Claudius, cæteræque Claudiorum effigies longo ordine ſpectarentur.

Quòd ſi ritu præpoſtero, ſed fortaſse ſapientiùs, ad Virginis incunabula, maiorum liberet imagines circumferre, quàm glorioſa pompa procederet, quàm ſpecioſior omnibus veterum funeribus, & triumphis? Agmen ducerent Patriarchæ, annorum numero, & virtutum venerabiles, quos præiret Abrahamus parricidio meritus fieri parens magnarum gentium, & Numinis naſcituri. Sequerentur exercituum imperatores ſuo, hoſtili-

ſtilique ſanguine purpurati, quos ducta-
ret Aminadab equitum Princeps, qui
primus in ſicca Erithræi gurgitis vada
immiſſis quadrigis, fluctuantibus metu
populis, calcandi maris fecit audaciam.
Hos exciperent octodecim Reges poſt
Dauidem Leonis ſpolio, ac gigantis gla-
dio, trophæis armatum, & decoratum
ſuis. Dein Pontifices ſacerdotij infulis
proximi cælo, tum ſacri vates, quibus
cum omnis ætas pateret, videntes ap-
pellabantur. Quindecim ad vltimum
ſub Zorobabele populi duces, qui ex
maioribus Virginis regno in Ioachin ex-
tincto imperitarunt: è quibus cum qua-
tuor tantùm ſine imperio fuerint, quo
tempore Machabeorum ſæuientibus
bellis Dauidica gens in Galilæam ſeceſ-
ſerat, videtur in Deiparæ familia inter-
miſſum ius regium, non expiraſſe. Et
quoniam artes quoque, ſcientiæque no-
bilitant, vnum pro multis Salomonem
qualem, & quantum virum oſtentaret
ſapientia, mortales ſupergreſſum, cæliti-
bus tantùm non anteſtantem? Claude-
ret agmen Dei, ac Virginis filius, non
aſpectu horridus, quo ſquallet in cruce,

 (ne-

(neque enim natalitia funeſtanda ſunt luctibus) ſed qualis in tabellis expictus viſitur à Guidone Reno ſeculi noſtri miraculo, ætate floridiſſima adoleſcentis, mundi molem dextera manu gerens, ſpecie nil laborantis, ſiniſtra palma ſuper globum leniter appoſita, vt omnia ſuauiter moderantem intelligas, flauo capillamento diuiſim in colli nuda pro miſſo Nazarenum in morem: genis ab innocentia matris, & verecundia Virginali coloratis, & quoniam in hominum oculis, vt ait quidam, animus habitat, in Dei oculis diuinitas eluceret, coniectu tam acri pariter, ac ſuaui, vt venerationis non parum, plus amoris, cæleſtis iucunditatis plurimum affunderet intuentibus: qui tabulæ inhærentes obtutus, cum alio diuertere non poſſent, ita ſecum reputarent; ſi tam inſatiabiliter hæc imago mortua delectat, quid erit in cælo viuum exemplar pulchritudinis, & deſiderium ipſorum, qui fruuntur, aſpicere?

Neque officit claritudini virginali, quod plerique illius familiæ Principes flagitijs indecores extiterunt: Nam ad nobilitandos poſteros, vt cum

vulgo hominum loquar, maiorum non exigitur fama bona, ſed magna. Quæ cum dignitatis amplitudine coniuncta, ſi mala famoſos, ſi bona glorioſos reddit, nobiles ſemper. Quis Othomanam gentem è faſtis nobilitatis expungat? Et tamen rara in illis exempla virtutis, multa feritatis; ſed animi magnitudo pro virtute, nobiles fecit. Fuerint crudeles, perfidi, rapaces, iure an iniuria occupata tot Regna, animique tantis imperijs pares, illuſtrant. Cæſarem Patriæ parricidam expendamus: fama laborat, vt leuiſſimè dicam, laudis, & vituperationis ambigua. Sed illius potentia, & ſucceſſorum, iudicia poſteritatis extorſit, vt conſequuti Principes, Cæſareo non minus nomine, quàm ſolio glorietur. Haud ſecus & Virgini intra gloriam fuerint, maiorum coronata vitia, & proaui ſceleroſi, ſed magni. Quid? quod virgini labem afferre non poterant maiorum crimina, quibus curandis erat ipſa remedium è viſceribus allatura? Quin imò comparatione deterrima virginale decus amplificare videbatur. Cum enim ex Iudæa illa Cleopatra, alijſque impudici-

dicitiæ, ac Idololatriæ fontibus fluxiſſe videamus tantum caſtimoniæ, ac ſanctitatis, exclamare libet: Deus immortalis! illæ tenebræ, quam lucem pepererunt?

Altera Reginæ prærogatiua, Maieſtas; quæ innata Principibus in purpura genitis, partim oculis, fronte, inceſſu, partim ornamentis adſcititiis continetur. Profectò nihil eſt in rebus humanis, quod rerum cæleſtium amplitudinem pro dignitate repræſentare poſſit: ſed neque cæleſtia hominibus, alijs exhiberi poſſunt imaginibus, quàm humanis. Equidem id temporis ad maieſtatem Deiparæ declarandam, nihil accommodatiùs exiſtimo ea Regina, cui vix parem habeamus in terris, Anna, inquam Auſtriaca Ferdinandi Cæſaris filia Philippo potentiſſimo Hiſpaniarum Regi deſponſa, cuius maieſtati, vt regalem comitatum adiungeret, Vngariæ Regis, & fœminarum Archiducum, Germania conuelli viſa eſt è ſedibus ſuis, legationibus Principum venerabunda conſurrexit Italia, & fauſta cælitum officia per purpuratum Pontificis Legatum Vicaria cæli detulit Roma: ſubmiſit in occurſum Hiſpania excelſiſ-

ſimi

ſimi nominis, animiq; Romanum Principem, cum magnatibus ſuis; maria contabulata claſſibus à Sereniſſimo purpurato, pontem inſtabilem præbuerunt. Quæ venienti effuſiones populorum ex vrbibus? quæ tormentorum exploſiones ex arcibus? qui feſtorum ignium apparatus noctem vincentium? quæ Mediolani theatra, ſpectacula, ſcenæ? qui concurſus nobilitatis, militum, togatorum, frequentia tanta vbique, ſplendoreque, vt Auſtriacus ille ſanguis tredecim Cæſarum Soboles, ad cognati auguſtiſſimi Regis nuptias promerendas, dotata orbis terrarum obſequijs videatur? Quod ſi Auſtriacæ Reginæ maieſtas inuſitato lætitiæ ſenſu, tot populos, & regna perfudit, quanta vniuerſitatis fuiſſe putabimus gaudia, cæli Regina in orbem terrarum prodeunte? Quanta ciuium beatorum obſequia, quæ ſtudia, quas gratulationes, cum Virgo Deum paritura cælitum pariter & mortalium miniſterijs decorata venit ad lucem? vt olim fuit adumbratum in geminis pediſſequis Reginam Aſſyriorum deducentibus, quæ cæleſtem, humanamque naturam huius

Virginis obſequio mancipandam ſignificabant. Sed illud præter cætera inter has Reginas diſcrimen, intercedit, quod Cæleſtis, etiam electionis iure poſſidet regnum ab æternitate deſtinatum. Vniuerſæ nobilitatis conſenſu ſceptrum accipere, magnum eſt Poloniæ Regibus decus. Auguſtius Cæſaribus à Septem viris eligi, cæleſte Pontifici Romano, à purpuratis patribus, ad ſolium euehi proximum cælo. Sed plus eſt ſuffragia vnius diuinitatis meruiſſe, quam omnium Principum, & populorum. Nunquam Deus, homines ſæpe falluntur. Non nemo votis omnium vocatus ad ſolium, eo minor apparuit ab ingenti aduerſaria expectatione ſuperatus. Nam vitia, quæ priuata fortuna in occulto tenebat, Principatus aperuit, virtutis verò ſpiritus anguſtæ ſorti vtcunque pares, ampliſſima regalis potentiæ vela, implere non potuerunt. Hinc illæ voces, dignus imperio, niſi imperaſſet. At Deus, in hac Virgine deligenda adeo non aberrauit, vt non tam elegerit illam, quia merebatur, quàm eligendo vt mereretur, effecerit. Mortales quærant regno dignos,

quos

quos eligant, Deus dum eligit, dignos facit.

Dies me deficeret ſi vellem ire per ſingulas virginalis animi regales laudes, quæ vel ſingulæ illi regni ſuffragium me ruerunt. Illam charitatem gentes, & regna, vno verbo genus humanum, vt clientem vnum amplexam: illam liberalitatem in omnes ſeculis omnibus redundantem; ita vt Oceanus aquis terras circumfluat, Virgo beneficijs, ſol radijs luſtret, Virgo miraculis. Illam iuſtitiam clementia plurimum temperatam, qua in peccantes, tam amanter animaduertit, vt pœnitentia ſit contenta, pro ſupplicio, & exitium offerat, vt ſalutem afferat: tum belli, paciſque artes, quæ aliaque innumera tamquam vera regalis animi bona reputat, hæc Regina, cuius ab intus omnis pulchritudo; externa verò regiæ nobilitatis ornamenta, non pluris facit, quàm paludamentum imperatorium in equo, quem ſuper omnia, palma commendat plurima, & in rauco reſonans victoria circo.

Supereſt Auditores, vt natâ hodie, electâque cæli, terrarumque Reginâ

tanquam in natali noſtro, regnoq; gaudeamus. Habet hoc magnorum Regum conditio, vt illorum fatum trahat fata regnorum. Felicitas generis humani cum huius Reginæ felicitate ita implicita eſt, & cohæret, vt illa beata, nos miſeri eſſe nequeamus. Dixi.

B. ALOYSII
LAVDATIO.

CVM Orbis terrarum im-menſa moles, inſatiabili re-rum varietate diſtincta col-luceat, alibi propinqui Solis appulſu exardeſcens, alibi à longinquitate & abſceſſu refrigerata, temperie placida inter vtrumque, tam varijs gentium naturis, ritibus, linguis, tanta diſſimilitudine lineamentorum, & vultuum, vt in multitudine prope-modum infinita hominum miraculo ſit in duobus formæ atque oris indiſcreta ſimilitudo: illud ſanè vehementer eſt admirandum, in eo genus humanum vniuerſum conſentire, quòd trium vi-tiorum tyrannidi voluptatis, auaritiæ ſuperbię Apoſtolo teſte, ſponte mancipa tum teneatur indecora, & exitiabili ſerui-tute. Ab Aethiopum regnis, & Guineæ lit-

littore Europam verſus nauigantibus, oculi, diu caliginoſi coloris mœſtitia cõtriſtati, exhilarari ſolent candidorum aſpectibus vultuum diei lætitiam præſeferentium. Sed Orientem licet Occidentemque percurras, Meridiem, ac Septentrionem peregrinando coniungas, raros ab innocentiæ luce candentes vultus, & nullis vitiorum maculis notatos, quo ſpectaculo acies mentis oblectetur, inuenias. Tanta ne humano generi, ad virtutem, & beatitatem genito, cum vitiorum nocte cognatio? idem ne erit, hominem naſci, & vitia pullulare? At licet obnoxium his peſtibus in vniuerſum viuat hominum genus, hoſtis tamen tartareus in iis ad fraudem inducendis, non vnam rationem, ac modum ſeruare conſueuit. Sed veluti ſuperbus miles viliſsimum lixam gladio, aut pilo cædere dedignatus, ſatis habet pugnis calcibuſq; conterere, ſic veterator calliſsimus, ſi quem inter Circæas pecudes grunnire animaduertit cum Elpenore, non huic Attalicas conditiones, aut opulenta Midæ vota proponit: ſi quos aureis auaritiæ vinculis

com-

compeditos videt, non illos laqueis honorum ſplendidioribus captat, aut veneficio ambitionis faſcinare contendit. Quamobrem hodierna luce Aloyſium Gonzagam heroicæ virtutis adoleſcentem exornaturus, non voluptatis victorem, quam vel infans, vt Hercules angues præfocauit in cunis: non auaritiæ, cuius ne nomen quidem ad aures, ne dum afflatum ad animum arbitror perueniſſe, ſed ambitionis, & ſuperbiæ triumphatorem prædicabo, eò præſtantiori victoria, quo maiorem excuſationem in generoſis ingenijs habet hæc labes, & ſeruire honori vulgo decorum putant ij, qui cæteris imperant. Cum igitur tribus maximè rebus ambitio mortalium mentes quaſi quodam veneficio faſcinare, ac pellicere ſoleat, tactu, voce, viſu, his tribus oppugnatum fortiſſimum adoleſcentem victorem extitiſſe demonſtrabo.

Et ſanè naturæ quodam illicio tactū ad faſcinandum validiſſimum eſſe, in aperto eſt. Videmus quippe quotidiano miraculo ferrum magneti applicatum trahi, & electro admo as paleas frondeſque.

Con-

Contra lupinorum conſortia viſcerum, ouium pellem refugere, ab Aquilæ plumis minorum auium pennas abſumi, in ipſis animantium reliquijs inimicitia viuente poſt mortem. Quid dicam de ferociore tauro, qui ficui alligatus contactu mitiſſimæ arboris manſueſcit? quid de piſce in mole minima virtutis giganteæ, qui nauim plenis currentem velis morſu retinet echineis? aut alio qui captus hamo torpore transfuſo per linum, prædatricem retinet manum? aut ſerpente illo, qui veneno in percuſſorem per telum tranſmiſſo, inſtrumentum vulneris lanceam, miniſtram facit vltionis? Et honorem pariter exitium intentare per tactum dico ijs maximè, quos in domo honeſtiſſima genitos principalibus educit in cunis, & hinc decoris familiæ ſtemmatis, inde faſcibus poteſtatis, hoc eſt ſuis, vndique amplectitur, ac tangit inſignibus. An verò potuit Aloyſio eſſe præſentior honor, aut magis ex propinquo applicari, ad deſiderium, æſtimationemq; ſui inſinuandam, quam vel cum heroico Gonzagarum ſanguine transfuſus in venas, vel foris admotus

per

per triumphales maiorum laureas, & præſertim Ferrantis Patris fortiſſimi bellatoris, ac Ducis, aut inſulas, purpuraſque togatæ ornamenta dignitatis? At nobilis hic magnes, quamuis ab omni parte Gonzagam contingeret, non tamen pellicere potuit ad ſe, nec veneficio ambitionis attrahere. Quin honor natalium, & generis claritudo, eatenus profuere, vt ſpernerentur, obſcuratum paupertate decus ſplendores auxit, & repudiata principatus gloria, intra gloriam fuit. Efficaciſſimum videlicet amulethum aduerſus ambitionis veneficia eſſe didicerat, honorum decora mortalibus adorata reſpuere, totoque pectore amplecti dilectæ cælo paupertatis inſignia. Ergo in illa ætatula, quæ inanium amatrix, cum ſplendidis veſtibus faſtum induere gaudet puerilem, Aloyſio ſæpius cum educatore contendendum fuit, proptereaquod omnem gemmarum ornatum reijceret, aureos vero torques perinde auerſaretur, ac ſi in ijs ambitionis anguis deliteſceret, peior illo, qui apud Principem Poëtarum, in Reginam Latij ab Alecto coniectus, in ſpeciem auri

ri tortilis collo inerrans, viperεam animam inſpirabat. Quod ſi quando caſtiſſimo adoleſcenti in templis adoraturo, panni, & puluini ſerici ſupponerentur, ijs reiectis, nudam humum terebat genu; irridere ſolitus noſtri ſeculi morem, quo pompam amamus in precibus, & ſubſtrato genibus auro, non ſine faſtu ſupplicamus, præferentes in ipſa ſubmiſſione ſuperbiam. Quantum verò vulgus nobilium in occaſiones amplificandæ gloriæ, tantum Aloyſius in obſcurandæ intentus, excubabat. Mediolani per bacchanalium dies ſolemnis haſtarum ludus totius Vrbis frequentia celebrabatur. Eò cum iuuenum nobiliſſimus quiſque in equis magnificè phaleratis cum longa aſſeclarum pompa conueniſſent, Aloyſius ſibi ceſſandum non ratus, deſpectum conſcendit equum, nulloque comitum apparatu, ſplendidus Gonzagarum ſanguis per medios nobilitatis cuneos Chriſtianæ ſubmiſſionis pompam circumduxit. Romana miretur hiſtoria Claudium Neronem, non poſtremum hunc probrum imperij, & patricij ſanguinis funus, ſed priorem illum,

qui

qui poſt Cãnas à Carthaginienſibus ſtantem fortunam primus ad Romanas partes inclinauit, interfecto cũ quadraginta Carthaginienſium millibus Aſdrubale Annibalis fratre: Miretur inquam illum, & predicet, poſt debellatos ad Metaurum Carthaginienſes, ſe quoque animi moderatione vincentem. Cum enim victoriæ merito Collegam anteiret, non recuſauit honore triumphi ire poſterior, inuectum curru Liuium equo ſequutus, circumfrementibus tamen populis: vno illo equo per vrbem verum triumphum vehi, maioremque eſſe gloria, qui minor pompa videretur. Haud aliter Aloyſius per ſuperbas ſedentiam in equis iuuenum turmas vili iumento adequitans coram Deo Cœlitibuſque de triumphatrice generis humani ambitione ſplendidè triumphauit. Quantæ virtutis id fuerit intelliget, qui nouerit ſtudium honoris nimium, malum eſſe origine cæleſte, vt ait magnus Gregorius, nam perduelles ſpiritus illa primigeniæ lucis decora has tenebras pepererunt; in terris vitium eſſe regale, labemq. mortalium ſplendidiſſimis adhæreſcentem. Cum

enim cætera vitia in vulgus hominum promiſcuè cadant, ambitioni Principes litant, à quibus, vt inquit illorum vnus, præcipua rerum ad famam diriguntur. In Regna Reges, Reges in ipſos regnãdi cupido dominatur, quorũ Etheocles guſtata ſemel principatus dulcedine faſcinatus, pro ea ius violandum docuit, Cæſar didicit. At Gonzaga ſuo nos admonuit exemplo, poſſe indolem generoſam inter honores naſci, & honores non amare, Principatum habere, & ſpernere; & contra illius politici ſcriptoris dictum pronunciantis; contemptu famæ contemni virtutes, poſſe inquam ad virtutis properare metam, per famæ fugam.

Iam verò quemadmodum per faſcinatrices voces incantantur feræ, rumpuntur angues, laudatæ ſegetes, & campi ſterileſcunt, ita ab ambitione per laudes, & voces adulantium ſeuera, cæteroqui pectora faſcinari ſolent. Hinc Imperator olim ſummus interrogatus, quem inſtrumenti muſici cantum probaret maximè, nullam ſibi reſpondit harmoniam ſuarum commemoratione laudum accidere gratiorem. Aſt

Aloy--

Aloyſius contra hæc vocis incantamenta antiquo plane more Nemeſim, hoc eſt verecundam indignationem aduocabat, & iraſci nemini ſolitus, niſi ſibi, irati habitum, & ſpeciem induebat aduerſus peſſimum verè inimicorum genus, laudantes; quo intelligerent contra canora illorum veneficia, ſe ſpinis aures habere circumſeptas. Teſtis medentium vnus, qui cum Gonzagam inuiſens pro tracto in longum ſermone, in ipſius familiæ laudes diuertiſſet, ea in adoleſcente commotio vultus emicuit, vt omnes animaduerterint, Medicum amaris potionibus corpora curare ſolitum, ea prædulci ſorbitiuncula, mirum quantum commouiſſe faſtidium animo nauſeanti. Idem quippe erat laudare Gonzagam, ac lædere. Hinc factum, vt eius Moderatores cum viderent ægerrimè ferentem, ſi quando ſecum mitiùs ageretur, ſeueriùs tractarent, ne offenderent, in ſpeciem contemnerent, vt gratificarentur, interdum vilia munerum, & abiectiſſima domus miniſteria iniungerent, vt bearent. At dicet aliquis, inuictus Aloyſius ambitioni per ta-

ctum voceſque graſſanti, ei fortaſſe ſuccubuit per oculos potentiſſima ad faſcinandum inſtrumenta ſe inſinuanti? An ambitio aurato veſtium decorata luxu, purpurarum ſideribus clara, auguſta faſcium, apparitorum curruumque pompa, ſpectabilis, manè ſalutantum totis ædibus vndas euoluens, veneno ſuo per pupillas immiſſo, Gonzagæ cor rapuit, & (quemadmodum ſacer queritur vates) oculus ſuus, ſuam eſt animam deprædatus? num domi familiæ ornamenta cernenti, num paternis in caſtris excipienti militum fauorem plauſuſque; num *Romæ* togata miranti, propinquorum Cardinalium decora, & ad fauendum ſibi inclinatam ſummi Pontificis Maieſtatem; num Florentiæ in Medicea, pari Regibus, Aula, num in fœcunda regnis imperijſq. Auſtriaca Hiſpanorum domo, ſe ambitio rudi, & inexperto, adoleſcentis animo ſuperfudit? num labefactauit? leuiter inflexit? minimùm perpulit? quin ab illo illa repulſa labefactata, profligata eſt. Teſtes illæ voces animoſa ſapientia plenæ, quibus Didacum Hiſpaniarum Principem
ven-

vento iraſcentem, vtque ceſſaret minaciter imperantem, puerum puer ſubridens admonuit: Quid regalis iræ generoſos impetus fruſtra conſumis, ò Princeps, tenues in ſpiritus, in animas leues ventorum? Exercitibus inundare potes campos, claſſibus maria conſternere, ventis imperare non potes. Quos in carceres conijcies adulari recuſantes? quibus flagris domabis contumaces? An compedibus illos conſtringere tentabis colaphis ante percuſſos, vt Rex olim vaniſſimus Helleſpontum? Sed eludent ſua tenuitate tua vincula, & agitato verberibus aere, vires intendent non ponẽt: fateare neceſſe eſt, Regum potentiſſime, ventorum rempublicam extra tuam poſitam ditionem, non audiunt voces tuas, tuas ſecures non pauent. Neque vnis ventis te minorem Rex ſcias, ſed vniuerſa plane natura: quid enim? ſi tam facilè ventis irraſceris, irraſcèris aliquando credo acriùs, iuſtiùſq; febri, tuis in venis debacchanti. ſed regalis iracundiæ facibus morbi duplicabis ardores. Tunc ſenties, quam infirma ſit iſta potentia; dum tot arcibus, exercitibuſq;

ſubnixus, tui perniciem corporis propulſare non poteris. Nempè vt in manu Principis vitæ ſunt populorum, ita Principum ſpiritus aufert Deus, neq; illorum cineres, differunt a priuatis, niſi eò fortè quòd celeriùs computreſcant. at marmorea ſepulcra, & mauſolæa, quæ moram tempori inijciunt, ne nomen extinguant, non impedient quominus vermes regale cadauer arodant. Talibus Aloyſius, apud ſummum Principem in ambitionem orabat vocibus, breui peroraturus exemplo. Nam in Italiam reuerſus voluntariæ paupertatis obſcuritatem amplexus eſt, cuius votum in illa Hiſpanicæ aulæ luce conceperat. Sed neque tunc ſuarum decora virtutum inſpiciens ab ambitione faſcinari potuit, vt olim ſua pulcritudine faſcinatos fuiſſe, Narciſſum fabulæ, Eutelidem hiſtoriæ prodiderunt.

Habemus Auditores Aloyſium ab omni parte ambitioni impenetrabilem, abſolutiſſimæ virtutis exemplum, habeamus exemplar. O Nobiliſſimum ſanctimoniæ decus, quacunque de Cœli parte nos aſpicis, tuos cineres

araſ-

araſque tenentes, patrocinio foue, quos factis præclariſſimis imbuiſti. Cerne tot malis ardentem mundum, dum ambitio mortales inſtigat, vt terræ punctum diuidant gladio in Principatus, & Regna. Illa in Chriſtianam Rempublicã hæreſes, & ſchiſmata inuexit, illa ſuſtentat. Quin honeſta ſub larua (tantus in hoc vitio virtutis eſt color) ipſa ingreditur, & peſſundat religioſa caſtra virtutum. Tu qui ſolebas, & potes, tam ſpecioſo malo, deme perſonam. falſum ambitionis decorem, verum dedecus aperi. Doce nos magnanimæ abiectionis amator in gloriæ deſpicientia gloriari: doce non inhiare honoribus, quos tam auidè repudiaſti: doce alienos non concupiſcere titulos, qui contempſiſti tuos.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

DELIBERATIO
DE
IMMOLANDA
IEPHTE FILIA

ſãguine pretioſis lapillis,& odoratis floribus inſcripſit, quaſi dolorũ ſuorũ ſeria, ludo traduceret. Neq; hiſce contentus naturæ picturis, expreſſiorẽ imaginẽ adamauit in iugibus ſacrificijs, perpetuiſque oblationibus victimarum; itàvt Agnus ille cæleſtis ad vindicandos mortales ſemel occidendus in medio annorum, ab origine mundi mactaretur antequàm natus, idemque è ſepulchro rediuiuus, vſque ad occaſum rerum, in quotidianis altaris litationibus immoletur. Iam verò quemadmodũ pictor egregius, exquiſiti artificij tabulam eò vſque ſtudio, & labore perducit, donec omnibus perfectis lineamentis, commiſſuris, & illito colorum flore, manus tantùm deſideretur extrema, quam interiecto, ad recognoſcendum opus, temporis ſpatio, tandem imponit; ita ſupremus rerum Opifex, imaginem diuinæ cædis, varijs naturæ, ac legis operibus prius adumbratam, mox in Iſaaci ſacrificio ſic expreſſit, vt ardor moriendi in filio, voluntas immolandi in patre, hinc elatum ferrum, illinc paratum collum, ignis amoris ſimbolum, ligna crucis, omnia

præ-

parte, de Virgine immolanda ſententias; ita rationibus temperatis ad tuendam Iephte famam, quem Apoſtolus in Sanctorum Patrum numerum retulit, vt illud fieri debuiſſe liqueat, quod factum eſt.

DE MACTANDA VIRGINE PARS NEGANS SEV DISSVASIO

SI qua fuit vnquam in mortalium conuentibus agitata quæſtio, quam accuratiſſima diligentia tractari, non vnius tantum Regni, aut reipub. ſed vniuerſi propemodum humani generis interſit, hanc eſſe hodiernæ cauſæ diſceptationem cenſeo, Princeps inuictiſſime, vbi iura diuina, atque humana potiſſimùm aguntur: nec vmbraticus doctor quæſitam ad captandum audientiæ plauſum fabulam ficto terrore declamitat, ſed atrociſsimi facinoris verum argumentum exponitur, vix credibile, niſi fide, oculis, manu teneretur. Sic ambigitur inter rem gratiſſimam cœlo, & maximè deteſtandam, vt medium nihil ſacrificium inter, & parricidium relinquatur: vt ipſe aut Sacerdos declarandus videaris, aut carnifex, aut religio-

ſus

ſus Dei cultor per chariſsima pignora, aut ſaxis durior, immanior feris, vnicæ, atque innocentiſsimæ prolis extinctor. Illud accedit, quod ſi deteriorem in partem inclinaueris, pœnitentiæ locus eſt nullus; & apud tuos, vt leuiſsimè dicam, ſeuerus audies nimis, & immiſericors pater, apud exteros verò maledictis præſentium, & poſterorum laceratus inuidiam generis humani, nec viuus, nec tumulatus effugies.

Verùm, vt ad cauſæ caput veniam, nemo vnus ignorat, humanæ victimæ ſacrificium diuina lege, naturæ, gentiumque iure prohiberi. Quamobrem ſi ad lanienam viſcerum tuorum adduceris, Princeps, repugnante lege, reluctante patre, reclamante naturá, neceſſe eſt, tanta neceſsitudinum pretia diuini imperij auctoritate ſuperari. Sed interrogo, cum humanis litare victimis apertè interdicatur, ecquod habes diuinæ voluntatis argumentum, quod opponas? Num è beatis Cœli mentibus aliqua, vt olim noſtræ gentis Principi diſertè, planèque prolis immolationem, imperauit? An ſacri vates eruditi diuinitùs,

nitùs?an Sacerdotes in ſomnijs audita mandata Numinis detulerunt? Num Oraculum ex Arca? Num Pontificis monile, gemmatum luce, pro voce iuſſa cœleſtia eſt eloquutum? Nihil prorſus eiuſmodi. Voui, ſi vincerem (inquis) quod ex domo mea primùm occurreret reuertenti: occurrit filia, voti ſum reus. Si ergo vile mancipium, ſi fœdum iumentum in ianuæ limine occurriſſet, hoſtia tam immunda litares? Si coniux, aut mater, ſi ſummus gentis Pontifex, matrem raperes ad aras, & Sacerdotem Imperator immolares? Quid? ſi Cœlites ipſi, vt olim maioribus tuis humana ſpecie contecti apparuerunt, ſic tibi obuiam in veſtibulo regiæ grataturi vèniſſent, Cœlites (horret animus dicere) mactare altaribus conareris? Profectò tam furioſa vota concepiſſe te pernegas. Ita quidem exiſtimo. Noui enim prudentiam, noui manſuetudinem tuam. Scio, te alieniſsimi etiam ſanguinis parcum, nedum tui profuſum. Sed verba, quæ in ardore certaminis exciderunt, id ſonant, quod grauia multa, & atrocia complecti videatur. Quid

igitur ſentis? Sentio, voti tam præcipitis nexu ratione, ac ſapientum doctrina te liberari. Non cogeris ea præſtare promiſſa, quæ promittere nefas fuit, quæ non implere pietas eſt. Nemo ad flagitium impellitur, eo quod iuramento ſe obſtrinxerit. Tu ad parricidium per ſacramentum adduceris? Quæ religio tam ſtulta perſuadet, quod præſtare non poſſumus, nec debemus?

Iâm verò illud etiam, exiſtimes velim, non de vnius hominis anima te in filiæ immolatione ſtatuere, ſed exemplum dare parricidalis tragœdiæ, ſæpiùs renouandæ. Si quis in bello victoriam, ſi togæ decora affectabit in pace, auarus opibus inhians, honoribus ambitioſus, certatim ad vota tam inhumana decurrent; nec poterit paterna charitas retinere animos cupiditate, ac ſuperſtitione ad atrocia quæque incitatos. Redundabunt igitur humano ſanguine paſsim altaria, & inter maxima mala, quæ matres filijs deprecabuntur, erunt paterna vota, & religio. Piget referre portenta victimarum in exteris gentibus audita: apud alias integras hominum

hecatombas: minutiſsimis graphijs inciſas venas apud alias, in conſpectu idoli, lenta morte pereuntium, alibi flammis vſtulatos; alibi ſpecioſo ſupplicio inciſuras vulnerum, aureis ramentis illuminatas, vt pompa præberet morituris pretioſa ſolatia. Quæ ſi tetra, ſi abominanda videntur, & ſunt, caue, ne paria exemplo tuo in Hebræam Rempub. inducas. Facilè oculos, & animos pertrahunt ad imitandum facta Principum in excelſo viuentium, & exempla non conſiſtunt vbi cæperunt. Quin igitur religionem tam barbaram, tam profanam omittens, diuinis legibus, naturæ iuribus, humanis moribus parendum cenſes? Suumque patriæ ornamentum conſeruas, ſuum familiæ præſidium, ſpem generis, æqualium amorem, delicias tuas? Nam rarò vllam in Virginem tot ornamenta, tùm animi, tum corporis ſiue natura, ſiue fortuna congeſsit, quot in hac nobiliſsima Principis filia, ad ſuperiorum ætatum inuidiam noſtrum ſæculum admiratur. Pulchritudinem formæ animi decori conſentientem, & oris candorem niuibus virginalis

lis pudoris æqualem. Nihil puerile in moribus, nihil leue, & immoderatum in dictis: maturam in iuuenili flore prudentiam, & venuſtatem, modeſtiæ lege compoſitam. Veſtitum vt Virginis decentem ſine delicijs, aurique ac gemmarum ornatum, formoſæ non plus addentem lucis, quàm mutuantem. Dignam eo faſtigio, in quo genita eſt, dignam, cuius nuptias ambiant potentiſſimi Reges, cuius imperio, & ſucceſſione longa diutiſſimè Hebræa Reſp. lætetur. Tantum patriæ ornamentum, familiæ decus, ſpem gentis, & conſequentium ætatum, pater inconſultus abijcies? Nihil te flos iuuentutis, & gratia, nihil ætas matura thalamis, non ſepulcris, nihil innocentia nullius conſcia delicti, nihil magnanima indoles, ideo digna, æternùm viuere, quod oſtendit ſe certam mori, nihil paterna viſcera commouebunt? Ecquod illa tantum commeruit? quid tantopere peccauit illo, illo die, quo patri triumphali obuia cum æqualium Virginum choris gratulabunda proceſſit? At ſi crimen eſt amare patrem, ſi ſcelus illius triumpho gaudere,

 ſi fla-

ſi flagitium ſaltu, ſono, cantu, gratulari, luat amorem ſanguine, gaudium lacrymis, capitis ſaltu tripudium, & Ammonitarum manibus gratiſſimas inferias morte perſoluat. Sin amorem, & obſequia filiorum in patrem omnia iura commendant, cur à genitoris triumphantis amplexu amantiſſima filia ferro diuellitur? Hæc te prima patrem appellauit, hæc ſola. Quoties in vlnis excepta, quoties oſculis admota, quoties malè articulata voce blanditias dixit? Tot iucunditatum memoriam, tot neceſſitudinum vincula; paternum nomen, & munus, & pietatem vno ictu omnia diſſolues? O votum infandum! O victoriam infauſtam! O religionem impiam: qua vt hoſtem cæderes, filiam trucidabas! Ergo infeliciſsima Virgo, & propter patrem morieris, & dextera patris? Alijs paterna claritudo ſaluti fuit, tibi parit exitium, illius trophœum fuit clades tua, patre victore vitam perdidiſti. Iephteus triumphus inimico ſimul, & chariſsimo ſanguine purpurabit. En viuunt hoſtium filiæ, poſt ſuorum cædem, & ſi vincendum ita erat, clade lætantur.

Tibi

Tibi victoria patris luenda eſt capite, de tuo ſupplendum eſt, quicquid noſtri bellatores ſanguinis non effuderunt. O rerum vices miſeræ! ò ludibria fortunæ! Quid virgunculæ cum certaminibus, cum triumphis? Vt patria ſtet, virgo cadet, viri viuemus? Atqui optabiliùs erat puellæ obſcuram viuere, quàm mori cum tanta gloria. Vtinam Deus feciſſet (ignoſce Patria voto, hæc etiam pietas eſt corroborata æquitate) Vtinam inquam feciſſet Deus, vt Iephte victoriam hanc calamitoſam non retuliſſet! Spectaculum tam funeſtum non videremus. Alias ſpectauimus noſtrorum militum cædes, ad hoc genus malorum diu exercitatis animis, atque oculis obduruimus. Parricidium tale vidimus nunquam, victorem patrem in filiam innocentiſsimam ſæuientem. Quamobrem ſi ſapis, ò Pater, refer in melius conſilia. Tibi, filiæ, noſtris lacrimis faue. neque diuinam iram reformides, ſi miſericors fueris. Nam, vt ego interpretor, voto factum eſt ſatis, dum alacritate pari, tu filiam, illa ſe, holocauſtum ſupremo Numini obtuliſtis.

Clementiſsimo inquam Numini, quod viuentium cædibus non delectatur, ſed vt Abrahami exemplo nos docuit, voluntatem moriendi probat, factum recuſat.

PARS AFFIRMANS SIVE SVASIO.

INTELLIGO, quam difficilem prouinciam ſuſceperim Princeps, dum in delibera. tionem vocatus, cui nullam parem ſuperior vidit ætas, nec futura ſortaſſe viſura eſt, de immolanda vnica prole tua, plenam inuidiæ, periculique paro ferre ſententiam. Etenim quamcumque in partem, animum, cogitationemq; conuerto, ſtatim occurrit, quod offendat, quod reformidem, quod fugiam; quod ſecurum præſtare poſsit, quod arridere, quod placeat, non inuenio. Quid enim? ſuadebo tibi, vt filiam ſupplicio acerbiſsimo eximas? Popularis erit ſententia, gratificabor amori patrio, innocens puella gaudebit; ſed Numinis iram haud dubitanter incurro, cuius altaribus deſponſa ſemel victima, & deſtinata ſubducitur. Perſuadere contendam, vt partem chariſsimam tui ad interitum voces? Vt vt erga cœleſte Numen religioſo fungar officio, populare tamen odium, & omnium virginum

matrumque diræ, me manent, teque annuente in ſpeciem, parentis viſcera ſententiam meam tacita execratione damnabunt. Verum cum procliue ſit, atque in promptu, Principibus ſuadere, quæ placeant, nam adulatio nullo labore peragitur, vel hinc fidem æſtimare poteris meam, quod ſatis gnarus, iucunda Regi ſuaderi cum gratia, malim, vel cum offenſione tibi profutura ſuggerere. Et ſanè naturæ legibus repugnare non inficior, cognati generis carnificinam, & victimas, altaria impiantes potiùs, quàm expiantes. ſed idem ipſe contendo, naturam mores dediſcere, ſilere leges, vbi ſecus ille iuſſerit, à quo natura inſtinctũ, ſapientiam leges hauſere. Quid enim magis naturale aquis, quam fluere, ſaxis mœnibuſque, quam ſtare? Ad Virgæ tamen Moſaicæ ſonitum, Eritræi maris vndæ conſiſtentes ſolidari viſæ ſunt in chriſtalla, & ſacerdotum clangentibus tubis, turres Iericuntinæ fluctuarunt. Nonne ignis ad ætheris altiſſimam oram certus, & expeditus eſt curſus? Verùm imperio Numinis impellente, ad ſceleratas vrbes incendendas, vltrix è Cœlo flam-

flamma deſcendit. Vſque adeo auctori ſuo parere, innatum eſt, aquis magis, quam fluere, ignibus, quam ſalire, ſaxis, mœnibuſque, quam ſtare. Paria, & de homine ſentire fas eſt; niſi fortè per libertatem animi eximi putes communi vinculo ſeruitutis, nec potius magis adſtringi, cum reliqua debitum ſuum ſentiant, homo etiam intelligat. Si ergo filiam tuam Deus depoſcat altaribus, caue, id naturæ repugnare dicas, aut legibus, nam migrat in pietatem ſæuitia, parricidium in ſanctitatem, & quæ videbantur ſcelera, virtutum vim, ac nomen induunt. An obliti ſumus, maiores noſtros, cum ex præcepto diuini Numinis, Aegiptum ſpoliaſſent, latrocinium induiſſe rationem obſequij, vnaq; opera ſe memphiticis opibus, & obedientiæ gloria, ditauiſſe? At vnde tibi exploratum eſt (dicet hic aliquis) Deum innocentiſsimæ Virginis cædem approbare? Vnde compertum habes, viciſſim ego ſubijciam, Deum deuotam ſibi victimam repudiare? Silet: ergo non poſcit. Silet, immo conſentit. ſed non ſilet, ſatiſque diſertim voluntatem ſuam aperuit

Deus, qui multiſariam loqui ſolet voce victoriæ. Vouiſti, ſi vinceres, quod occurreret; dum viciſti, per victoriam, voto præbuit aſſenſum Deus, & probauit hoſtiæ genus, dum chariſsimum pignus in occurſum properare permiſit. Equidem ſine ſtomaco audire vix poteram, cum Iuuenis non indiſertus diſſerebat, Iephte vouēdo quidquid occurreret, temeraria vota concepiſſe. Tune prudentiſsimo Duci ſacrilegæ ſuperſtitionis crimen impingis? Siccine vt filiam ſerues, auferre moliris famam, neſcio an filia chariorem? Velas temeritate perfidiam, faterique iubes, quod maximè indecorum eſt Principi, pœnitenda feciſſe. Si ſtolidum fuit votum, cur Deus tam præſenti miraculo comprobauit? An ille temerarios, & amentes exaudit? Cur ſtatim à voto Iephte, incredibili robore circumfuſus è Cœlo, ſuos labantes reſtituit, confirmauit, hoſtem impulit, profligauit, patriam in libertatem vindicauit? Meminiſti ne Princeps, qualis facies certaminis eſſet, priuſquam voueres, quam cōfuſa, quam perplexa, quam implicata periculis? poſt votum verò,

quam

quam expedita nobis omnia, quam tranquilla? Cum tu quacunque ferro limitem aperires, per hoſtilium cadauerum aceruos, præiret terror, vaſtitas, fuga, victoria ſequeretur. Ecquam clariorem ſignificationem deſideramus, Numinis voto conſentientis? Ecquæ vox optabilior à Deo mortalibus accidere poteſt, quam quæ victorijs reſonat ac triumphis? Iam verò illa riſum magis mouebant, cum quæreret paratragœdiando quid facturus fuiſſet Iephte, ſi iumentum, ſi mancipium occurriſſet, ſi mater, ſi ſacerdotes, aut cœlites. Perinde ac ſi, qui ad vouendum impulit, & vincendum Deus, prouidere, & excogitare neſcijſſet rationem, qua in occurſum impelleret victimam ſpecioſiſsimã, & placituram. Quando deſines Principes Cœlo charos priuatorum decempeda metiri? An neſcis ſublimiores illos inſiſtere ſemitas, quam vt à vulgaribus ingenijs premi poſsint? Quemadmodum cum Deo conſortium habent virtutis, & poteſtatis, ita conſilia, colloquiaque ſecreta miſcere, à vulgique opinionibus abhorrentia. Quare, vt Numinis, ita

Prin-

Principum facta non diſcutienda, ſed veneranda. Quis in Abrahamo ſæuitiem non interpretaretur, quæ fuit exaggerata religio? aſpernari ſanguinem, mactare prolem, quæ in vulgo parricidia dicimus, in Regibus ſunt ſacrificia. An deſideras vlteriùs cœleſtem legatum, qualis Abrahamo diuinæ interpres voluntatis apparuit? erras vehementer, erras, ſi meridiem cupis in fidei nocte, cui gratiam ſua caligo conciliat. Nam Abrahamus, cum diuinum conſilium ſuſpicari non poſſet, cœlitus fuit admonendus: Iephte ad fidem, Abrahami erudiuit exemplum, votum impulit, victoria ipſa perduxit. Quid? in ipſo Abrahamo, quam multa inuoluta caligine fuerunt? Quam turbulentos fuiſſe paterni cordis æſtus accepimus; cum in illo non ſolùm amor in filium, obſequium in Deum, ſanguinis impetus, & virtutis, inter ſe digladiaretur: verum etiam ſpes contra ſpem, fides certaret in fidem, atque in abditis mentis penetralibus, vbi cœleſtium oculorum memoria conſeruatur, cum veritate diuinarum promiſsionum extrema Numinis iuſſa depugnarent?
Hunc-

Hunccine, aiebat, per filium, me gentium multarũ patrem deſtinauit Deus, quem filium iubet occidi? Hoc germen, quod radicitùs extirpare nunc molior, adoleſcet in ſyluam immenſos Paleſtinæ tractus opacaturam? Tot Regum diadematis lucem, confido fæneraturum hunc ſolem, quem in ipſo exortu præpoſteræ mortis caligo contumulabit? Neque tamen id ea gratia dico, vt aduler dolori tuo, & amorem credulum falſa ſpe lactem, quaſi parem Abrahami filio ſortem, tua proles ſit habitura. Veſtræ virtutis eſt, clariſſimos noſtræ gentis principes imitari; Diuini conſilij erit, qualiſcunqae placuerit exitus, dilargiri. Non vnæ ſunt Prouidentiæ viæ, & in rebus mortalium, alia atque alia diuinos oculos ſcena delectat. Quænam iſta tam mollis, & delicata facundia, paterni inflammatione amoris, magnanimi pectoris robur labefactare contendit? Pater es Iephte, ſed idẽ es princeps. Non bonus eris princeps, niſi vbi reipublicæ conducat, abdices patrem. Quin vbi te cariſſima ſanguinis parte ſpoliaueris, tunc latiùs extendes paternum

no-

nomen, & iura. Nam vnius vocari deſinens pater, incipies vocari pater omnium. Pater es, ſed idem miles, & imperator. Bellatori nefas, timidiùs horrere mortem filiæ, quam ipſa ſuam. Indecorum Duci, quæ in certamine, calente marte concepit, poſt victoriam vota non reddere. Niſi fortè triumphi, & libertatis vnius animæ pretio redemptæ, iam pœnitet, & libet eleuare victoriam, periculi iam ſecuris. Vſque adeò ceſſante præſentia malorum, etiam acceptæ ſalutis memoria obliteratur. Sed vt clariùs liqueat, ſpecioſa alios, me vera ſuadere, rem totam in integro eſſe ponamus. Cogitationibus noſtris, quæ liberæ ſunt, calamitoſum Hebreæ Reipublicæ ſtatum reuocemus, octodecim annorum iugum vna victoria diſcuſſum, continuari fingamus, excitentur ab inferis Ammonitarum duces, reuiuiſcant trucidatæ legiones, perículoſiſsimum bellum renouetur, quod hoſtes ſuperbiſsimi intulerunt, nulla iniuria laceſsiti, ſed aut libidine cædis, & ſanguinis, vel vt cauſam haberent, falsã quidem, cauſam tamen, nos premendi nouis oneribus, &

tri-

tributis. Prudentiſsimus princeps Iephte omnia priuſquam armis experiatur, ſed fruſtra, mittat legatos ad deprecandam pacem, reijciantur, obteſtetur Deum vltorem fœderum, irrideatur. Ergo in certamen iniquiſsimum Hebræa acies coacta deſcendat, pauci, & aliàs victi, contra plurimos, & feroces. Quid hic attinet horrendum ancipitis certaminis renouare terrorem? Cum Ammonitæ victorijs, & imperio elati, Hebræos validiſsimè vrgerent, hi ſupra vires fortiſsimè repugnarent, illi cornibus dilatatis circumfundere multitudinem ſuam, paucitati noſtrorum conarentur, hi à fronte, à tergo, à latere ſe tuentes, ne circumuenirentur, laborarent. Tu verò Princeps armatus tota acie volitares, oculis, nutu, voce, manu, confirmares tuos, hoſtem exterreres: ſed quoniam in te nondum Diuinus Spiritus incubuerat, cum adhuc vt vir, nondum pugnares vt Deus, quacumque in conſertiſsimos irrumperes, illi acriter obſiſterent, inferres vulnera, & mortes, ſed tuorum funera, & ſanguinem late profluentem videres, ſorte domina-

cam-

campi, marte ambiguo, & geminas inter acies errante victoria. Qui tunc æſtus animi tui, quàm anxiæ cogitationes? metuentis, ne rareſcentem tuorum aciem, hoſtium multitudo obrueret, vt certa clades tibi futurum eſſet, ſerò vincere. Age iam in tam turbidis rebus, Deus aliquis illam mentem inijciat, ſi filiam Iephte deſpondes altaribus, victoriam ſperato, vnius animæ pretio patriam vindicabis in libertatem. Quid hic agis? quid deliberas prudentiſsime? Num tergiuerſaris? num patrem in conſilium vocas? An ſtatim filiam voues, ſtatim trucidas? Quid illa? Num mortem horret? Num deprecatur? An quod nunc facit, ſalutem patriæ anteponit ſuæ? Quid cæteri? num miſeramur innocentis vicem, patrioque ferro ſubducimus? An feſtinamus potius, & te vrgemus, vt malis familiam funeſtare, quam regnum, vnam Virginem perire, quam vniuerſos? Atque hæc tantum ſperata, nondum obtenta victoria, & libertate, quo nunc animo vtraque potiti eſſe debemus? O mortalium mentes in auferendis à Deo beneficijs ſedulas,

in remunerandis incurioſas! Nonne palmare ingrati animi vitium eſt, poſt adeptam cum libertate victoriam, cunctanter ea reddere, quæ prius cum dubia fortuna eſſet, vltrò deferebamus? Sed religio credo te retinet, timendum eſt enim, ne in rempublicam ſerpat a principe, ſacrificij parricidalis exemplum. Non ſunt (ne dubita) in ſuæ prolis amore tam languidi Hebræi patres, vt nimis præcipitanter ad hæc vota decurrant; ſed neque Deus his nimis ſæpe victimis delectatur. Tot ſæculis vnum extitit Abrahami exemplum, tuum erit alterum. Quod ſi aliquæ gentes, humanis victimis, ad inſaniam ſunt deditæ, pudeat, quod illæ impiè faciunt, non facere nos piè; pudeat illas idolis offerre, quod non debent, nos vero Deo debita, & promiſſa non ſoluere.

Vereor ne quis elatum immoderatione dicendi, me iniquiorem ſaluti nobiliſsimæ virginis arbitretur, quam niſi omnibus naturæ, ac virtutis ornamentis cumulatiſsimam fatear, næ ego animi, & corporis oculis captus ſim. Sed ignoſce Virgo regalis, ſi tuæ ſalutis cu-

ram

ram poſthabeo venerationi Numinis, charitati patriæ, timori noſtro. Nondum in eo ſtatu ſumus, vt ingratis eſſe ſine periculo liceat. Ne ſcilicet libertatem voto patris recuperatam, neglecta voti religione amittamus, nulla Hebræarum virginum iactura reſtituendam. Quam grauis ſit vltio cœleſtis, vel ex hoſtium clade didicimus. Quamquam illi hominibus tantum infidi, nos Deo fidem frangere meditamur. Miſerebit te minus tui, ſi cœperis miſerari Rempublicam; quæ vnius capitis deuotione ſeruata, te viuente non poteſt ſalua conſiſtere. Optabilis (crede mihi) mors eſt, in qua ſalus omnium, & vita continetur. Habes enim acerbæ ſortis non aſpernanda ſolatia: dolorem publicum in triumpho, æqualium virginum lamenta, nec minora cineri, anniuerſarias complorationes per quatriduum pollicemur. Sed quid ego hæc ita diſſero, quaſi ſortem iudicem tuam, miſeratione, quam inuidia digniorem? Cur me miſeret iſtius pulchritudinis, & ætatis, quæ nimis magnam mercedem habet, in hoſtiam ſummo Numini placuiſſe? Di-

gna

gna viſa es, ò Virgo, quæ tuo dotata ſanguine, cœleſti ſponſo, morte pronuba ſocieris. Digna, pro cuius anima Deus, victoriam Hebræis, & libertatem redonaret. Quæ faces nuptiales, ignibus holocauſti tui conferantur? qui thalami non cedant aris, & funeribus tuis? O filiam, ò Patrem, ò Patriam in ſumma calamitate felices! Clari eritis apud omnes gentes, & miſericordia beneuolentiam conciliante chariores. Ambigetur inter poſteros, vtrum filia vulnus fortiùs exceperit, an Pater intulerit? Amborum conſtantia prædicabitur, amborum obedientiæ gloria, vtrumq; exemplum hominibus admirandum, imitandum (ſi fas eſt dicere) ſoli Deo. Si clementiſsimum Numen, vt olim Iſaaci, ſic modò letho Virginis intercedet, illius ſacrificij gloriam adæquabitis; ſin cruentum tragœdiæ exitum approbabit, etiam vincetis. Expreſsiorem quippe geretis imaginem, alter Diuini Patris, altera Filij, vnam Chriſti animam pro ſalute vniuerſæ mortalium reipublicæ deuouentium.


Delectat
et
Ornat
Valet ſculp.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ELOQVENTIA
VARIARVM
GENTIVM

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. D.

AVGVSTINO
CHISIO FARNESII
ET SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI

Gulielmus Dondinus F.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVAMVIS religioſis hominibus obſequium erga Principes teſtari per dona ſit interdictum ingeniorum tamen munuſcula nõ vetantur auro gemmiſque acceptiora CHISIÆ genti ab antiquo cenſum gloriæ inter diuitias referenti. Quamobrem hunc libellũ, quo ſeptem nobiliſſimarum Nationum facundia, & mores explicantur, offerre tibi Princeps Excel-

cellentiſſime non dubitaui in pau-
pertate priuata, de publico libera-
lis: illius inſtar ruſtici, qui hauſtos
è pręterlabente fluuio liquores ma-
ximo Regi obtulit, communis e-
lementi dono magnificus. Cum
itaque teneritudo ætatis olim Ti-
bi fuerit impedimento, quo minùs
comes Patruo ſapientiſſimo pro
Chriſtiana Republica peregrinan-
ti varia Europæ regna, genteſque
luſtrares, hæc oculis ſubiecta Tuis
paucis in paginis contemplabere,
Italiæ præſertim cõmendationem
auctam per gentilem tuum, & co-
gnominẽ AVGVSTINVM CHI-
SIVM, quem patritium Senenſem
genere, opulentia, magnificentia-
que priuato maiorem, in conuiuijs,
in ædificijs, in litteris, eximijſque
ingenijs ſubleuandis, hiſtoriarum
monumentis, & carminum ſua æ-
tas

tas decorauit. Et vnius quidẽ tã inclyti de veſtra familia viri occaſio intulit mentionẽ, quam plurimorũ virtus, & fortuna merebatur. Verùm his iuſti operis amplitudinem exigentibus, vnum Tibi tacitum præterire non debeo tantorũ nominũ ornamentũ ALEXANDRVM VII. Pont. Opt: Max: clariſſimis maioribus lumen maius quàm acceperit, refundentem. Cuius quidem publica in ſubiectos populos, & Chriſtianam Rempublicam merita commemorare ſuperſedeo: Romam, & prouincias à ſæuitia peſtilentiæ paterna cura, conſilijs, ærario recluſo vindicatas: cum per idem tempus Heluetiæ Catholicæ ab Hereticis oppugnatæ, periclitanti Poloniæ, laborantibus Venetis, auxiliatricem dexteram, & ſequeſtram pacificandis

dis per legatos Regibus porrigeret, in hæreſim ſeditiones auertens, & bella, in Turcam nauales clades, & exitium. Illa etiam alia omitto, euocatas ab errorum nocte ad adorandum Vaticani ſolem triumphãtium more Reginas, tum remuneratione tantæ gloriæ reliquos Principes inuitatos: Pontificiam pompam per modeſtiam, & miniſteria decora procerum renouatã, reiecta ab aulis munera, literas, & virtutes inuectas: vetuſtiſſima templa à veſtris exornata maioribus elegantia, & nitore miro refecta, Quirinales Pontificum ædes picturis & ædium additamento nobilitatas, Gregoriani Collegij ſqualentem in tenebris maieſtatem, ad ampliorem priſtino ſplendorem reuocatam, Vaticani forum columnis candidiſsimis in theatri morẽ

cir-

circumfulgentibus coronatũ, magnificentia æmula veterum Romanorum, Romam denique ipſam (quæ Auguſti gloriatio fuerat) nitidiorẽ in Romam viarum, fontium, ædium inſtauratione commutatam. His inquam aliorum curæ reſeruatis, priuata ſingulariſſima beneficia ſine ingrati animi nota reticere non poſſum; ſi priuata dicenda ſunt in Societatis, collata familiam per immenſa ſpatia terrarum mariumque mortalium ſaluti famulantem. Dum Sereniſsimæ REIPVBLICÆ VENETÆ gratiam nobis recõciliat, ac literarum teſtimonio honorificentiſsimo præclariſsimum factum exornat. Quapropter, cum Auguſti iudicium in collocando beneficio plenum dignitatis, tum prodigam alterius Cœſaris in amplitu-

di-

dine muneris largitatem , incomparabili Principis Noſtri benignitati debemus . Neque enim in vnam, vel in alteram ciuitatem , ſed in ampliſsimas prouincias reuocati ALEXANDRI VII. nomen omnium gentium linguis , & literis prædicamus . Hæc vetera nouis cumulata repræſentatis Congregationi vndecimæ Generali ſi exponere pro dignitate voluero,epiſtolæ modum excedam . Quamobrem dabis veniam , Excellentiſsime Princeps,in tabella gigantem referenti, vt è domeſtico atrio imaginem excelſiſsimam orbi terrarum admirandam , imitandam etiam poſteris proponam Tuis,naſcituris ex recenti connubio cum Excellentiſſima BVRGHESIA Principe MARIA VIRGINIA , quæ ad micantem latè CHISIAE gentis magni-

tu-

tudinem, & fulgorem, quatuor ſummorum Pontificum ſanguinē, VRSINAM auiæ claritudinem, cum ſuarum decore virtutum dignam attulit Regibus dotem. Vale.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆFATIO

Habita tempore comitiorum ad Electores poſt mortem Mutij Vitelleſchi Præp. Gen.

NOVA hæc, & inuſitata frequentia, qua ſub aſpectum ponitur collectus è ſodalitate vniuerſa flos auctoritatis, & ſapientiæ, ita vt audientiam nullam parem, poſt grande triginta annorum ſpatium, Gregoriani Gymnaſij parietes, & exedræ recordentur: nouam mihi pariter, atque inauditam tradendæ eloquentiæ rationem inſinuat, Religioſiſſimi Patres, illam quidem adoleſcentiæ præferuidæ non ingratam, nec improbandam, vt opinor, ſeuerioris ætatis ſupercilio, vbi conſilij mei cauſam argumentumque cognouerint. Dum

enim in vos intueor Patres, è toto terrarum orbe ad comitia noſtri Ordinis euocatos, vt non vna aliqua è gente,ſed ex omnibus eligatis omnium moderatorem, & quam optimum, ac ſapientiſſimum Reipublicæ noſtræ Caput imponatis:in mentem ſubeunt magnificæ de Oratoris dignitate, ac munere cogitationes: nimirum illum, qui oratione flexanima, in iudicijs, in Senatu, in foro, in omni populorum conuentu ſit regnaturus, non vna alicuius gentis facundia, & ſtylo, ſed omnibus apud omnes vigentibus dicendi formis, & probatiſſimis quibuſcunq; eloquentiæ characteribus eſſe informandum.

Quamobrem author non importunus accedo vagandi cupidæ iuuentuti, ſuadeoque auditoribus meis,vt veſtigijs inſiſtentes Platonis Tullij, aliorumque, qui eloquentiæ merces non vno in ſolo naſcentes peregrinando comparauerunt,ipſi quoque pileum in galerum,in lacernam pallium mutent, mecum vnà diuerſa terrarum adituri, quo videlicet inſtar apium, non vno e flore cœleſtem ſermonis dulcedinem delibent, & ope-

roſa

roſa eloquentiæ mella componant. Non omnis fert omnia tellus, & nulla non aliquid rarum, & pretioſum parit. Quemadmodum eloquentiam perfe-ctam,conſummatamque nullum,teſte Tullio, poſſedit ingenium:ita quæcunque gens, & natio, modò non omnino agreſtis, & barbara, aliquod facundiæ ſpecimen habet eximium, ac generoſum; quare in manu veſtra poſitum eſt Rhetores vagando per ſingula efficere, vt quod vſquam gentium in dicendi lau de præclarum gignitur, id omne imitationis induſtria, inſtitutioni veſtræ genitum eſſe videatur.

Agite igitur, dum ad iter, & quidem ſatis longum vos comparatis indagaturi, quænam apud ſingulas gentes proprij lineamenta characteris, & facundiæ forma non illaudata ſplendeſcat: illud primo loco conſtituendum mihi, ac præmonſtrandum intelligo: Eloquentiam in vniuerſum, pro diuerſitate Cœli, terrarum, aeris, gentiumque, diuerſam indolem, naturamque ſortiri. Quod vnico argumento ita conficio.

Quamuis eloquentia mutuetur ab ar-

te doctrinæ facem, ſine qua cœca incederet, exercitationi plus debeat, Tullio teſte, magiſtrorum omnium præcepta ſuperanti, plurimum tamen ingenio, iudicio, memoria, alijſque naturæ dotibus nititur, quæ vel ſolæ ad eloquentiæ laudem valent, & ijs orbati conatus artis in irritum cadunt, exercitationis labor ſqualet inglorius. Atquî omnia hæc naturæ ſubſidia, & inſtrumenta facundiæ, pro varietate cœli, atque elementorum variantur; in eandem igitur ſortem eloquentiam damnari neceſſe eſt, ac pulcherrimum humani generis ornamentùm, à ſupremis rerum vniuerſitatis cauſis, principijſque pendere.

Et apertius quidem eſt, quàm vt debeat à me pluribus confici, naturæ in primis opibus, & præſidio ſubornari Oratorem. Quotus enim quiſque non videt, ingenij diuina ſolertia argumenta conquiri, quibus expugnati, catenatiquè auditorum animi pertrahuntur in triumphum Eloquentiæ? Quis non intelligit à iudicio conſultore, ſuaſore, inſtructore acerrimo, vniuerſam rationum aciem ad certamen, & victoriam ordi-

ordinari? A memoria ſubſidiarias argumentorum cohortes ſuis in latebris præſtò haberi, quas excitatas profundat in lucem, veriùs quàm olim pulſando tellurem, ſe improuiſos pedites, equiteſque euocaturum iactauerat Magnus Pompeius? quid de animorum affectibus dicemus; quibus incendiarias machinas admouentibus, non arces perrumpuntur, ſed pectora? Quid de pronunciatione, per oculos, vultum, manus, vocem, tot amentata tela vibrante, quibus Oratoris animus in animos auditorum victor irrumpit?

Nec difficilioris operis fuerit, quamuis prolixioris,iucundioriſque,propter varietatem, laudatas humanæ naturæ dotes, fontes, & fundamenta facundiæ, ſub imperio Cœli, elementorumque collocare.

Nam illud maioris mundi compendium homo, in cuius gratiam is admirabilis vniuerſitatis ornatus, ab authore ſummo dicitur fabricatus,ijs ipſis naturis, ſuum in obſequium, & commodum deſtinatis, viuit obnoxius. Dum itaque cœleſtes orbes erroribus ſuis hominum

vti-

vtilitatibus ancillantur, dum aër reciprocandum ſpiritum ſuggerit, animaſque ventorum, dum terræ, ac maria alimenta, veſtes, deliciaſque ſuppeditant, ille tot beneficijs compeditus, in liberalem, ac generoſam redigitur ſeruitutem, ingenium, iudicium, memoriam, eloquentiæ fundamenta ſortitus, ingenio, naturæ, moribus Cœli, terrarum, maris, atque aëris reſpondentes. Atque vt ab altiſſimis ordiar, ſuperior ſuis cum ſyderibus mundus, pro diurno, nocturnoque labore ſtellarum, pro vitali lucis flamma, pro arcana virtute, iure merito hanc mercedem vindicat à genere humano, vt cœleſti genio, ac naturæ attemperetur. Hinc diſciplinæ militaris magiſter Vegetius, plagam cœli ad robur non tantùm corporum, ſed etiam animorum plurimum valere affirmauit. Ea propter nationes, quæ vicinæ ſunt Soli, cœleſtis caloris exuberantia exiccatas, plus habere ſapientiæ, quam ſanguinis, minus valere membrorum viribus, quam animorum: in pallido vultu, & exangui, in corpore imbecillo, ſplendidam vigere mentis aciem, habitare

viui-

viuida ingenia: ſi mars ingruat violens, & manifeſtus, timidos, & fugaces, aſtu eſſe ac fraudibus, quæ ſunt ingenij tela, pugnaciſſimos.

Contra ad Septentrionem populos, rigore ambientis cœli calorem in venis amplificante, copia ſanguinis redundantis audaces, candidos vultu, validos membris, vt corpore, audacia ingentes, non tam euadere diſciplina, quam naturæ inductione naſci, vulnerum, & mortis contemptores.

Et facundiæ quidem color in vtriſque, cœleſtis plagæ ingenio conſentit. Afris Eloquentia exilis, arida, ſicca, acuta tamen, & in qua plus neruorum ſentias ineſſe quam cutis. Borealem verò facundiam, admirabere, torrentem copia, & volubilitate verborum, nec minus quam ſanguis in ingentium corporum venis, quam aquæ in latiſſimis fluminum alueis efferueſcentem. Cum mediæ nationes, nec priorum fulmine, nec flumine in totum careant poſteriorum, alterum, alteri ſalubri, temperamento miſcentes.

In reliquis etiam naturæ dotibus iudicio,

dicio, & memoria, tum in vitijs, ac virtutibus non minora diſſidia à meridie, ſcientiæ contemplatrices, & quæcunque nimiæ ſubtilitatis artes ingenia torquent. Nam Aegyptios mortalium ſolertiſſimos Herodotus, Alexandrinos Cæſar ingenioſiſſimos, ſubtiliſſimoſque, Columella Pænos gentem acutiſſimam appellauit. In temperatis regionibus, prudentiſſimæ rerum publicarum formæ, ſapientiſſimis legibus fundata imperia, Aſſyrium Medicum, Perſicum, Sinenſe, Græcum, Romanum floruere, vt non ineptè Poeta caneret:

Excudent alij ſpirantia mollius aëra
Credo equidem: viuos ducent de marmore vultus
Orabunt melius cauſas, cœlique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent:
Tu regere imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes a

Ad Septentrionem ex humenti cœlo, ſoloque, memoriæ vis ingens; hinc eruditionis flumine inundata monumenta litterarum: inuicta verò viriumpræſtantia,

tia, & robur, ad euertenda, vel fundanda imperia, violentia magis quam iure, armis potius nixa, quam legibus. Punica perfidia Maurici doli ſub æſtiuo cœlo graſſantur, ex ingenio gentis leui, volucrique: tranquillæ prudentiæ, diſſimulandique artes, quæ conſtantiam requirunt, apud nos vigent: Scythicum robur, Batauam ſynceritatem; Germanam fidem Septemptrione iactante. Sed iuſtitiæ, ac religionis cura, vbi vera viget, aut ſuperſtitionis inſania Africanis gentibus maior; nam frequentiſſimæ in ijs terris aræ ac delubra, & Chriſtophorus Columbus obſcurationem Lunæ, quam adorabant, comminatus contumacibus populis, vbi denunciationi reſpondit euentus, obſequentiſſimos in poſterum expertus dicitur, tanquam rerum cœleſtium arbiter, & potens in Africanos Deos. Contra Boreales populi, ferro, ac viribus plurimum credunt; adeò vt veteres Scythæ cultro humi defixo tanquam Deo ſupplicarent. Quin ſæuiſſimam legem tuliſſe fertur Fronto Rex Daniæ, vt iudicia ſuæ gentis nonniſi ad modum Gordiani nodi

di gladio diſſoluerentur, partibus per monomachiam dicentibus cauſam ad tribunal Libitinæ. Nec eſt cur miremur tam inhumanum morem in populis humaniſſimis, vix decretis Pontificum, & Regum ſanctionibus comprimi potuiſſe, obluctante natura, quæ ſanguinis, animique plenis pectoribus, prodigendæ vitæ, inſanam cupiditatem inſpirat.

Quid? quod hæc ipſa cœleſtis plagæ diuerſitas, apud alias gentes nomina vitiorum quaſi delet, naturæ propenſione excuſata, apud alias meritum virtutum obſcurat, quas naturalis impetus imperauit? Quæ rerum diſcrimina ſi tenuiſſent ſcriptorum aliqui, neque immoderatis laudibus incredibilem Aethiopum abſtinentiam efferrent, neque plus æquo arguerent cibi, potuſque ad Septemtrionem, largitatem. Cum enim calor in officinis vitæ deſudans, vehementior apud hos, quam apud illos exæſtuet, hinc fit, vt ciborum menſuram, quæ apud Aethiopas temperantiæ fines egrederetur, apud Germanos magnum eſſet ieiunium, atque intolerandum: contra in his ratio virtutis conſtaret,

quam.

quamuis modum videretur excedere, vix vllum virtuti locum relinqueret apud illos, à natura præſcripta temperantia.

Hanc ipſam cognationem, neceſſitudinemque humani generis cum Cœlo, fortiſſimorum exercituum duces cum ignorarent, grauiſſimè in ſe, ſuarumque gentium perniciem peccauerunt, dum profecti ad externa regna debellanda, illorum arces, arma, terras, flumina, non cœlum in conſilio habuerunt. Quapropter incredibili corporis, atque animi robore circumſepti, ea quidem domuerunt, quæ conditionem, & naturam vt vinci poſſent, habebant: cœleſti neceſſitati, cui neque gigantes pares, & ipſi Dij ſubeſſe coguntur in fabulis, ineluctabili, & inuictæ ſuccubuerunt. Conſulite huius Vrbis hiſtorias, Cimbros, ac Teuthonas, Italici cœli clementia maceratos priùs, quam Romano ferro profligatos reperietis. Nam corpora ſub gelidis durata ſyderibus, ſub tepenti cœlo laxantur, nec eodem ſuſtentata calore, ſi eadem ciborum mole, laborumque premantur, opprimuntur.

Quid

Quid aliud,quam alienior cœli amæniſſimi plaga,Brennum Gallorum Regem vt Florus teſtatur, conſumpſit in Aſia? Quid ſuperiore ſæculo eoſdem Gallos in Neapolitano Regno, ſupra decem millia Germanorum in Italia, vt aſſerit Franciſcus Guicciardinus, armis inuictos, niſi inimica noſtrorum ſyderum benignitas debellauit? Cum Africanos Carthaginienſes ſub Annibale ſeptemdecim annos ſuis ceruicibus incubantes Italia ſuſtinuerit, haud receſſuros, niſi vaſtata in vices Africa, & Romano ariete verberata Carthago reuocaret. A meridie quippe in Septemptrionem tendentibus ſalubriora omnia corporibus, animiſque; nam vitali calore augeſcente, cum membris robur, tum vigor creſcit ingenijs. Hinc Italos noſtros audimus facilè ad laudem excellere in borealibus Regnis, & hac tempeſtate in altiſſima Europæ ſcena fulgentes alterum ſummum conſiliorum arbitrum agere in Regia, alterum ſupremum exercituum imperatorem in caſtris.

Verùm ſi tanta eſt cœli potentia, in temperandis hominum ingenijs, moribuſ-

buſque, haud minor eſt fortaſſe locorum indoles, & patriæ telluris quidam quaſi ſacer genius. Quoties enim, ſub vno ſyderum poſitu, ex diuerſitate terrarum diuerſæ naturæ, mores, inſtituta gignuntur? Miratur Theophraſtus in Græcia ſub eadem cœli conſtitutione collocata, Spartanos, Athenienſes, Corinthios, Argiuos, aliosque diuerſiſſimos legibus, moribus, & eloquentia, populos diſſidere. At multo maiori iure Plutarchus in vna Athenarum vrbe miratur tres factiones diuiſas ſtudiis, animiſque, primam in ſuperiore vrbe popularem, in ima alteram paucorum dominationi fauentem, tertiam in Piræo Ariſtocratiæ ſtudioſam. Nonne Romanam Rempublicam tot ſeditionibus fecit obnoxiam, vt viri eruditiſſimi cenſuerunt, par & fortaſse maior quàm Athenis, locorum inæqualitas? cum Roma in ſeptem colles, valleſque diſtributa, ex variante ſitu, variam, & diſcordantem alumnis ſuis, indolem, ſpirituſque communicaret? Hinc æterna illa certamina: non ſolùm plebe à patribus, equitibuſque, ſed à ſe ipſa quoque diſtracta; ipſis etiam diſſidentibus

inter ſe, equitibus ſenatoribus, conſulibus, ac tribunis.

Quæ ſanè incommoda vt præcaueret apud Xenophontem Cyrus, dicitur Perſas ſuos, à collibus, ſyluiſque in planademittere recuſaſsè; ne mutatione loci mutarentur ingenia, & bellicoſa virtus quæ in confragoſo, & aſpero nata, nutrice paupertate, par euaſerat terrarum imperio, eneruata deliciis, & vbertate luxuriantium camporum, elangueſceret.

Quod ſi terrarum genius in ingenia, moreſque transfunditur, quis dubitet illum etiam in eloquentiam immigrare. Equidem in circumciſa breuitate Laconum, aſperitatem agnoſco Spartani ſoli, & parſimoniam, traditæ à Licurgo diſciplinæ; Rhodiæ inſulæ amœnitatem vt in nomine, ſic & in ſtylo video efflorniſſe: Aſiaticæ verò glebæ fœcunditas in orationem redundauit: omnis denique ſermo, ſaporem aliquem patriæ telluris trahit, vt in Liuiano candidiſſimæ latinitatis ſtylo, patauinitatem deprehenderit Quintilianus.

Quid? aeris vſuram nihilne conferre natu-

naturis, & eloquentiæ animandæ ſtatuemus? At acumen Athenienſium, & Attici ſermonis auream vbertatem, in tenue illorum cælum refert Orator: & Martialis, Zoilum neſcio quem, tanquam Oratorem ironicè illudens, canit

tibi cor limante Minerua
Aerius, & tenues finxerunt pectus Athenæ.

Neminem verò ingenio ad oratoriam laudem facto, Thebis viguiſſe teſtis eſt luculentiſſimus Plato: nam in poetica vnum inſtar omniũ illas os Pindari illuminauit, miratur verò Satyricus Democritum philoſophum non ignobilem in Bæotia, hoc eſt:

Veruecum in patria, craſſoque ſub aere natum.

Quid? quod ventorum etiam aſpirationi, cum locorum ſitu congruenti, non parum ſapientes viri tribuerunt? vt Galliæ populi, ſi grauiſſimo Auctori Torquato Taſſo credimus, vehementem illum impetum, & generoſam impatientiam ceſſationis ignauæ, cum rerum nouarum cupiditate, haurire videantur à

varia aſpiratione ventorum, quibus expoſita planities interminata Gallicarum regionum, raro collium interiectu, nonnunquam ſub Auroram flante Zephiro, verna hilaratur temperie, ſub noctem Aquilone verberata gelidiſſimo, in ſpeciem hyemis inhorreſcit.

Iam verò ſub Cœli, rerumque naturæ principatu, conſtituta eloquentia, ſupereſt, quod erat in partitione ſecundum, cognoſcendus multiplex in varijs gentibus facundiæ vultus, ſingulari cæli ſui genio, gubernationique conſentiens. Qua in diſſertatione, longè alia ineunda via nobis eſt, vt opinor, A A. quàm Cicero, & antiquiores Rhetores tenuerunt. Cum enim eo tempore vigeret Aegiptiorum facundia, ſententiarum grauior pondere quàm verborum, & orationis color non illaudatus reperiretur in Scythia, ſi Curtio credimus exemplum referenti, cum in India, totoque Oriente pretioſæ apologorum, margaritæ legerentur, nec minùs argutæ facundiæ, quàm balſami guttis ſtillaret Arabia, & Aſia frugum, & doctrinarum ferax, characterem peculiarem vindi-

vindicaret, Rhodus inſula ſolem ſuum & cognominem roſam ſplendore ſermonis, & amænitate præferret, Græcia verò omnis ſcientiæ, & eloquentiæ parens, atque educatrix haberetur, frequenter Aſiaticæ magnitudinis,& Rhodiæ amœnitatis, ſeueritatis Sçythicæ, & Attici ſalis, Aegiptiæ magnificentiæ, & Arabici acuminis, & Indicæ venuſtatis, apud veteres dicendi magiſtros, mentionem eſt reperire. Nunc verò quis Aſiam in eloquentia recordatur? quis Aegiptum nominat? quis Athenas? quis Rhodum? Iacent, iacent altiſſimo ſilentio bonarum artium conſepultæ, ſeu communi mortalitatis fato, quo ſi hominum facta, multò magis dicta damnantur: canente Horatio

mortalia facta peribunt,
Nedum ſermonum ſtet honos,& gratia viuax:

Seu Mehemetis tyrannide,ac diſciplina, excellentiſſima orbis terræ ingenia obruente, in tantum; vt ipſi Athenienſis ſoli accolæ, Platonis & Demoſtenis poſteri, veri, legitimique facundiæ heredes, in Italiam, atque hanc gentium patriam

triam nauigent, ad reliquias Attici leporis colligendas, Græciam, quærentes extra Græciam.

Contra nobiliſſimæ Europæ nationes, quæ dum Græcia, Aſiaque florebant, rudes, atque agreſtes habebantur, nunc exquiſitis humanitatis artibus expolitæ in omnem venuſtatem, & elegantiam litterarum effloreſcunt: vel quia fatalis, vt imperiorum, ſic etiam doctrinarum ſuus orbis fuit; vel quoniam Chriſtianæ fidei cultu manſuefacti populi, cum religione litteras acceperunt; vel denique, cum ſæpiùs exercitibus ſuis, Italiam, Romamque, imperatoria defenſione nudatam inundaſſent, inter cætera ſpolia etiam bonas artes abſtulerunt, & capta Italia prædonibus ſuis humanitatem ingeſſit, non ſecus acpridem capta Græcia ferum victorem cœperat, & artes agreſtibus Romanis intulerat.

Quæ cum ita ſe habeant, ſuperuacaneum profectò videretur hoc tempore auditoribus meis, aut Aſiatici ſermonis faſtum, aut Rhodij delicias, ſiue Atticos ſales, ſeu Spartanam verborum ſobrietatem

tatem induere; cum liceat illos ad hos potiùs, qui me audiunt ſpirantes ſapientiæ, & eloquentiæ imagines erudiendos allegare: ad Germanos oratione ſeueros, & graues, Polonos vehementes, dilucidos Belgas, efficaces Anglos, Gallos comptos, & ſuaues, acutos Hiſpanos, & grandes, Italos ſplendidos, & decoros. Quibus ſanè probatiſſimis dicendi formis, à ſeptem Hermogenis Idæis non diſcrepantibus, continentibuſque in ſe laudatas à veteribus ſtyli multiplicis varietates, omnem eloquentiam veſtram Rhetores animari volo, quæ à notarum diſſimilium concentu iucundior exiſtet; non ſecus ac melos, quod variante, cantu, Aeolio ſimplici, Aſiò mixto, Lidio querulo, religioſo Phrygio, Dorico bellicoſo temperatur.

At quoniam qualis hominum vita, talis oratio, quæ inſtar amnis metallorum quæ perluit colorem, ſaporemque retinentis, morum atque animorum tincturam trahit, naturam cuiuſque gentis & mores celeſti genio, & naturæ rerum congruentes, veſtigabimus, vt meliùs eloquentiam teneamus. Quam-

uis enim in vno vel altero fallere poſſit oratio, a pectore artificioſè diſcordans, in populo tamen aut gente non fallit, ſe prodente natura, quæ rarò a paucis cum labore exuitur, numquam ab vniuerſis.

Agite igitur ad exemplum Conſtantienſis concilij, in quo Patres Cæſareum faſtigium venerati, primos Germanos, ſententiam rogauerunt, nos quoque Germaniam primùm adeamus, Europæ partem multò maximam, clarorum Principum regnis, & libertate Rerumpublicarum inſignem, translatis eò Romanis aquilis nobilem, geminis inuentis memorandam, altero numquam ſatis laudato typographiæ, altero ſemper abominabili bombardarum, hoc excindendis vrbibus, illo æternandæ famæ, bona malis alternantem, vt quantum demolitur furor exitiabilis tormentorum, tantumdem reponat viuacitas litterarum.

Germanum, ſiue Alemannum appellant, quorum altero totus vir, altero prorſus vir ipſorum lingua ſignificatur; vt appareat Germanos eſſe, vti robore,

&

& firmitate corporum, ſic moribus, ac oratione robuſtos, & planè viros. Iuuat prægelidi cœli rigor, & aeris horrentis inclementia, in penetralibus hominum, ac terrarum, incluſam educans vim caloris indomiti; quæ in terrarum quidem ſuperficie, inania florum nomina negligens, opimas è gremio fruges educit: in hominum verò pectoribus, mares animos. magnanimas cogitationes nutrit, pari facundię ſtylo diuulgandas.

Flaua per ingentes ſurgit Germania partus,.

Cecinit Poeta non ignobilis, neque a magnitudine corporum, animorum amplitudo diſſentit: ingentia flumina per hyemem natatu exercita, virilem patientiam indurant: Vox grauis, & ex imo, qualis viros decet, tum Germana phraſis, ac dictio, ob inſitam ſeueritatem difficilis effœminari, nec in comicos ſales, nec in tragicas querelas ſuaptè natura flexibilis: magnarum tantùm mentium partubus exponendis, Imperatorum decretis, ducum victorijs, ac triumphis, rebus cœleſtibus, ac diuinis idonea.

Ne-

Neſcio quo argumenro adducti fuere qui aſſerrerent Moſen, & ſacros vates Germanica lingua locutos: Illud extra controuerſiam eſt, Germanam facundiam indigenarum propriam, vt olim de ſua Attici gloriabantur, nullo externi ſermonis contactu violatam, candoris ingeniti maieſtatem retinere. Quid? quod ad virilitatem orationis conformandam, præter ingenium cœli, terrarum, atque aeris, etiam diſciplina conſpirat? Equis, armiſque, quæ virorum ſunt, in primis delectantur: pigrum, & iners exiſtimantes, vt ait ille, arando terram, expectando annum, per ſudorem quærere, quod vocando hoſtem, merendo vulnera, ſanguine poſſis comparare. Nec virilis roboris parte fœminæ vacare dicuntur, auſæ viros & parentes in bella comitari, nec illorum numerare vulnera, aut exugere ſanguinem reformidantes. Quin etiam memoriæ proditur, apud Tacitum ſexum inualidum, vſque ad victoriam valuiſſe, cum inclinatas iam acies, & labantes, conſtantia precum, obiectu pectorum, & monſtrata cominus captiui-

tiuitate reſtituerent. Murum verò ferreum illorum phalangem meritò appellaueris; ſeu quia tam ſtabilem componit ad prœliandum gradum, ſeu quod impulſa, & inclinata, cadere poſſit, non cedere. Itaque dum omnes nefas exiſtimant procumbenti aciei, vel vnum caput ſubducere, non ſemel accidit, vt fatigatis vincendo hoſtibus, conſtantia Germanorum victoriam eripuerit, per ſuperſtites paucos fortuna certaminis redintegrata, vel decerpſerit magnam gloriæ partem imminueritque, per cædem triumphis clariorem. In clade Tilliana, cum afflicti exercitus reliquiæ Suecis adhuc repugnarent, & præſertim Comitis Tillij Legio multarum ſub eo Duce palmarum, ferunt fortiſſimum Sueciæ Regem, inuadere minimè auſum vel toto cum exercitu paucos morituros. Verùm eminus libratis ad ictum, in genua, & veſtigia pedum tormentis, duo millia virorum diſcerptis cruribus, plantiſque nudaſſe. Incidere ad terram fractis poplitibus bellatores egregij, nihil tamen animis inclinatis; quin erectos tubos, haſtaſque in hoſtem inten-

tan-

tantes, prouocabant vt accederet, auderetque ſpoliare dimidiatem iam mortuos. Sed Sueci, non ſecus ac ſi genua ipſis fuiſſent acciſa, in veſtigio hæſere, recuſantes experiri comminus viros virtutis expertæ, tunc verò inchoata iam morte multò ferociores. Cum interim victoriæ magnus iniectus eſt rubor collati iniquè fauoris, & ereptæ, veræ fortitudini, palmę.

Legimus in Germanorum hiſtorijs illorum maiores admiratione virtutis ad magnum Macedonem Aſiæ atque Orientis domitorem miſiſſe Legatos. Quos exceptos perhonorificè cum Alexander interrogaret, ecquæ nam res Germanis maximè tremenda videretur, exiſtimans videlicet ſuum & phalangis Macedonicæ nomen Perſici imperij excidio nobile, omnibus gentibus eſſe terrori: eluſere ſpem ſuperbam Regis Legati cum dicerent, illud vnum formidare Germanos ne cælum rueret. Quaſi viri fortiſſimi quidquid bellorum fulminibus infra lunam ſtrepit, pro ludo haberent, vnam cæli iram & pugnam, vt facturam Germanæ virtuti negotium

repu-

reputantes.

His elementis conſtantiæ, ac forti-tudinis imbutus, Germanicæ facundiæ character, ex Hermogenianis formis propriam ſibi vindicat grauitatem. Procul ab aulicis aſſentationibus, procul à blandientibus delicijs, fruges orationis, non floſculos conſectatur, nec imitatur facundiam Ilienſium, lilijs paſtam, ſed Periclis vim flexanimam, internitentem ſententiarum fulgetris, & exclamationum tonitribus ſtrepentem. Genus dicendi acre, ſeuerum, quod pectora, & mentes irrumpat, figuras quæ iubeant quæ caſtigent, quæ execrentur.

A Germania in vlteriora Septemtrionis tendentem excipit Rhetorem noſtrum, medias inter niues, martijs ignibus æſtuans generoſa Polonia.

Hic immenſa camporum Aquilonis violentiæ obnoxia (nam plana fere tota Polonia eſt) altiſſima ſepeliuntur niue, eaque nil derogante de feracitate terrarum, penetralis calor irritatus, potiùs quam ſopitus, vehementior turget in ſegetes, diſcuſſa glacie feliciſſimè, erumpentes. Verùm quis credat in tan-

to

to rigore borealis cœli, æſtates, quo breuiores, eo ſæuiùs aliquando vſque ad exitium regionum incaleſcere? Teſtatur incendium ſuperioris ſæculi anno duodecimo, quo non ſolum fruges, & plantæ, ſed villæ quædam, & oppida conflagrarunt, irreparabili excidio, cum à cœlo, & ſole faces deijcerentur. Cauſa mali, miraculo digna, ipſa remediorum copia, vt Ariſtoteles innuit in problematis, aquarum ſcilicet abundantia, in illis Septemtrionis plagis ſtagnantium, aut profluentium: quarum vaporibus obductus aer, addenſatuſque, feruorem ſolis, cum vehementiorem concipit, tum diuturniorem, quemadmodum ignis in materia ferri, quam ligni viuacior, & ad vrendum æſtu potentiore candeſcit.

Neque tamen inter tantas iniurias cœli, periclitanti mortalium ſaluti oblita eſt benignior terra ſuccurrere. altiſſimas egerit ſyluas, quæ vel immiſſæ in ignem frigora diſſoluant, vel frondentibus hoſpitijs, animalia protegant ſuffectura pretioſa pellium munimenta in hyemem, & ornamenta. Quin aliud ado-

rare

rare licet ſub tam rigido cœlo, naturæ indulgentiſſimæ beneficium. Iiſdem in ſyluis iniuſſæ apes numeroſo examine incubant truncis, cellas imparatas, & aluearia beato nectare diſtendentes, ne Hyblæ hortis & Hymetti Poloniæ nemo inuiderent.

Ex hoc cœleſtis plagæ, terrarumque genio, & morum, & eloquentiæ Polonicæ licet capere coniecturam. Nam hinc Polonæ nobilitati illa in agendo, loquendoque vehementia, à patriæ gelu, caloreque multum ferocitatis trahens, quam gentilis magnanimitatis natiua dulcedo voluntario melli ſimilis, mulcet, ac temperat.

Hinc forma dicendi minax, & interrupta, fulguri ſimilis, quod fulmen eſt ſequuturum. ſæpius inter verba reſpiciens ad capulum, pluſque dexteræ & gladio, quam linguæ, & vocibus tribuens, quin facta crebrò dictis immiſcens, vt facta ipſa videri poſſint pars eloquentiæ Polonicæ.

Ioannes Franciſcus Cardinalis Commendonus a Pio V. Pontifice, legatus venerat ad Sigiſmundum Auguſtum Polo-

Poloniæ Regem. Cumque potentiſſimum Principem, qui obuiam ſibi cum equitatu Polonico occurrerat, Pontificis nomine adhortaretur Cardinalis, vt Othomanum Imperatorem terreſtribus exercitibus inuaderet, quem nauali certamine recens profligatum fœderati Principes, & claſſe, & imperio maris exuiſſent; Sigiſmundus, iucundius nihil accidere ſibi teſtatus, ea occaſione, qua Chriſtianæ Reipublicæ bellicam Poloniæ virtutem repræſentaret, arrepta, inter loquendum ab armigero lancea, ſubiectiſque equo calcaribus: Nunciabis, inquit, Præſul generoſe Romano Pontifici, Sigiſmundum Regem non quieturum, donec hanc lanceam infringat in muros Conſtantinopolitanos. Hæc dicens equo in præcipitem curſum effuſo, impactaque mœnibus haſta, ſermonem de bello, epilogo ſatis ardente, extenſo brachio, & militari geſtu terminauit.

Sed neſcio an ſpecioſius eloquentiæ Polonicę dicta factis corroborantis exemplum fuerit, quod noſtro ſeculo edidit è Regio Sueciæ genere Princeps, Regiſ-

Regiſque Poloniæ Germanus frater, cuius bellica virtus aliis in castris exercitium Imperatori nunc militat. Is in Moſcouitico bello pedeſtrem aciem animabat ad pugnam equo circumuectus. Cumque gregarius neſcio quis tuberoſiſſimæ frontis (vt eſt procax militum natio) facile eſſe ſubmurmuraret Duci peditem adhortari, habenti in equo perfugium: tum Princeps confeſtim equo præcipitans in pedes militi imperat, vt ſtatim atque incaleſcere pugnam videat, regium equum ferro tranſuerberet. Deinde correpta haſta in aciem primam prouolans: Bene habet (inquit) nunc adhortanti duci ſua conſtabit fides, æquato inter me, & exercitum periculo. His vocibus, & magnanimitate ſpreti præſidii, Regius Iuuenis militibus ad victoriam, ſibi ad gloriam iter aperuit: docuitque, quàm pigeat Polonos, hoc eſt viros fortes, ſine factis eſſe eloquentes.

Poſt luſtratam Poloniam breui tranſ-

miſſo

miſſo freto, peregrinantem Rhetorem excipit Belgium hoſpitio ſanè quàm liberali, & candido, adeò illuſtribus ex chryſtallo, picturis, politique lapidis læuigatura conclauibus, vt hoſpites, vel in ſphengite gemma, vel in ſpecularibus vitris verſari videantur. Par corporum nitor. Cœli quippe gelidi beneficio argenteus candor in vultu, aureus fulgor ſcintillat in comis.

Tam pretioſum verticis honorem, quo ſponte naturæ diademata capita Belgarum cernuntur, inuiderunt olim Romani, ita vt Martiali teſte.

Mutaret latias ſpuma Batauâ comas. hoc eſt medicatis aquis; quæ vulgò ſpuma Batauâ appellabatur, capillum inaurarent. Antoninus verò Cæſar apud Herodianum, hac induſtria naturales opes Belgarum emendicaſſe legitur, & imperatoriæ comæ pretium addidiſſe.

Corporum, & ſupellectilis nitori, ſincera ingenia, ab omnique fuco aliena reſpondent. Quemadmodum animalia

noxia

noxia non gignit Belgicum ſolum, ita nec fraudes. Hinc Romani, in æſtimanda ſociorum fidelitate prudentiſſimi, cum alijs gentibus amicitiam, fraternitatem cum Belgis, & Batauis coluerunt: cumque aurum, & argentum in vectigal cæteris imperarent, a Batauis arma, & equos, tributa virorum fortium impetrarunt. Ferocia quippe militaris, & fortitudo, qua cum veteri æuo, tum recenti Belgæ inclaruerunt, optimè conuenit cum moribus illis ſinceris, & candidis; quandoquidem philoſopho teſte, pars magnanimæ ſecuritatis eſt, pectora diloricata circumferre, & ſimulare, & fingere animos arguit timidos, ſuiſque viribus diffidentes.

Sed illud planè mirandum in Belgio, vnde tot claſſes, tot exercitus, tantus frumenti numerus, e regione Italia noſtra quinquies minore. Vnde in tam pugnaci gēte, tantū otiū, ad lanificiū, ad textrinā, ad picturā, vt ſi qua ſunt præclariſſimæ induſtriæ, ac penè animata opera; Belgicæ manus commendentur. Equidem Ariſtotelem in politicis

 lege-

legeram,eam probantem Rempublicã, cuius ciues e re ruſtica, & paſtionibus viuerent. Seu quòd ex opere ſuo idoneum victum comparantes, otium rerum publicarum peſtem declinant, ſeu quia æſtu durati,ac gelu,inter ferarum bella, quodam diſciplinæ militaris tyrocinio imbuuntur. Contra reſpublicas ex opificum, & mechanicorum multitudine conflatas philoſophus aſpernatur; propterea quod officina nihil ingenuum ſapiat, & Omphales vmbratica ſtudia, vel Hercules ſoleant effeminare. At Belgæ,hac tempeſtate reſpublicas excogitarunt, in quibus armorum præſtantia, cum exquiſita opificiorum peritia iungeretur, fruſtra reclamante Ariſtotele: vbi terræ ſolum belli fæcundaretur iniurijs, mirante natura; vnde, ex Europæ videlicet angulo, tot exercitus, tot claſſes erumperent,ſtupente orbe terrarum. Eat poeta nunc aliquis, & aurem Batauam prouerbio hebetem,ac bardum appellet: certè hoc ſæculo non modò aures, ſed oculi manus pectora Belgarum

rum, & Batauorum miraculo ſunt.

Iam verò candidos illorum vultus, animoſque,ædium, ac ſupellectilis nitelam, aquarum paſſim ſtagnantium perlucida chryſtalla, imitatur oratio clara,illuſtris,nec ſine quadam generoſa ſimplicitate perſpicua. Affectatas delicias non minus à verbis,quàm à veſtibus procul habent, ambigua dicta relinquunt oraculis, neque æternas periodos fundunt capita rotantes, vt phanatici, neque in pedes hiperbolis ſupra fidem elatis, oratorij Thraſones eriguntur; translationes crebras, quæ rem obſcurant,deuitant,memores illius Auguſtini ſententiæ, quid prodeſt clauis aurea, quæ aperire non poſſit? Nec ignari Tullium,alioſque ſummos ingenij, & facundiæ viros, tantos clamores excitaſſe,quòd orationem haberent magnificam quidem, ſed illuſtrem, ſimilemque pulchritudini ſolis, quam miramur dum cernimus.

Agebatur annus ſalutis milleſimus quadringēteſimus quinquageſimus tertius, quando Conſtantinopolis à Mahome-

hemete expugnata, Conſtantinus Imperator extinctus, deletum in Oriente Chriſtianum imperium. Tantæ ruinæ ſonitus tota Europa auditus, amantes religionis Principes excitauit. Philippus Burgundiæ Dux, & Flandriæ Comes curas agitans ſacri belli, complures Principes amicitia ſibi coniunctos vel fœdere, & florem Gallicæ, ac Belgicæ nobilitatis, in inſulas Flandrorum ad ludos; ſpecie comitatis inuitat. Cum frequentiſſimi conueniſſent, celebrata ſunt generis varij ſpectacula, ſcenæ, theatra, haſtarum ludi, venationes, omnia Burgundus ſumptuoſiſſimo conuiuio concluſit, in quo ad vltimum, in conſeſſum accubitu Principum coronatum, ſe intulit elephas miræ magnitudinis, quem ducebat manu Gigas, inſidebat virgo pulcherrima, grandi diademate inſignis, ſed pulla veſtis auro illuſa indicium faciebat regiæ calamitatis. Altera manu claues geminas, altera ſtrophiolum gerebat, quo lacrymas ex oculis vbertim defluentes abſtergere videbatur. Vbi proceſſit in au-

læ medium,lacrymabilem cantilenam exorſa eſt, qua euolutam ſe patria e ſede,& regnis,quæ maxima aſpiciebat ſol oriens, querebatur: profugam, & vagam ſine rectore,ſine conſilio errare.
Agnoſcite (aiebat) inuicti Heroes communem matrem, ſanctam Chriſti ſponſam Eccleſiam, clariſſimo imperio,altero velut oculo effoſſo, in ſqualore ac lacrymis conſeneſcentẽ.Secunda illa Roma, tot Cæſarum Regia, & religionis ſedes ad Orientem, in aſilum impietatis, & ſolium barbari Turcæ conceſſit. Refertæ meorum ciuium cadaueribus viæ, foſſæ ſanguine redundarunt. Sanctiſſima templa vel diruta,vel vſu promiſcuo, ſtabulantibus equis, profanata,vel quod deterius eſt, ſacrilego mancipata cultui,impura Mehemetis deliramenta audire coguntur.Nunc ſolatium, quod ſupereſſe ſolet in ſummis malis, nil habere vltra quod timeas,ademptum eſt mihi. Tantis afflicta cladibus, clades ſuper impendentes exhorreo, & ægrorum conclamata ſalute membrorum, ſanis adhuc partibus

timeo. Neque Græciæ tantùm, aut Illyrio, aut Pannonijs ſollicitudinem noſtram impendimus; quas è proximo ſeruitus afflat non euitanda; Italiæ, & alteri Romæ, Germaniæ, & vobis; vobis ipſis formido malè, qui modò, vel ſecura pace in conuiuijs agitis, vel infeſto inter vos bello, gladiatorios ludos ſpectanti, gaudentique Turcæ, in Europæ ſcena præbetis. Næ iſtum ſanguinem, quem modò tam prodigè funditis, permagno redemptum olim optabitis, ad illud extinguendum incendiũ armorum, quod proximis correptis ambuſtiſque, calens, ac fumans excidio nationum ad vos inflammandos accedit. Exemplo ſit Conſtantinopolitanus Cæſar, qui dum Chriſtianos circa ſe Principes mutuis cladibus atterit, auxilia præcidit ſua, atque inutilium odiorum pœnas eæ gentes inuicem dederunt, & dant, vna vnius inuolutæ ſeruitute. Quod ſi bellicoſis ſubiectos ſyderibus populos odium ſtimulat pacis ignauæ, cur Thraciam, cur Aſiam, cur Orientem non reſpicitis? quantæ illic

opes,bellorum pretia,quàm ampla gloriæ ſeges, & ſeminarium triumphorum? Quid? quòd inter ambigua certaminum, non dubia laureæ ſpes, illic ſemper affulget; ſi vincas, victoria excipit fronde conſueta; ſi cadas, ſydera cedunt in coronam. Ah Principes, veſtro digna genere, digna fide, quam meis ab vberibus ſuxiſtis,cogitate. Ne mutuis vulneribus viſcera materna diſtrahite: vtri nunc vincitis, certa mea clades,ſanguis, qui funditur, meus eſt. In verum hoſtem nobiles iras conuertite. Vocant vos tot nobiles viri, dum recens adhuc, & crudum ſeruitium, libero inter vincula gemitu, nec toti ſeruientes. Rogant egregiæ matronæ, ne ſe ſuperſtites vixiſſe ludibrijs, aut filios genuiſſe pœniteat. Infantes lacrymis diſertiores quàm vocibus, deprecantur ingratam lucem, & ſoles nigros ſeruituris.Ipſi Diuorum cineres capti,pro libertate ſua orãt,perque hoſpites quondam animos,cæli numen propitiaturos pollicentur. Si annuitis, reſpirabo; ſecus, deſerta ſuccumbam; per veſtram

ſummam infamiam,conculcanda pedibus barbarorum. Extremæ hæ uoces quaſi claſſicum fuere,quo incenſæ iam luctu Principum mentes in iram præcipitarentur,ita vt flentes, arma, arma, toto conuiuio proclamarent.Vtendum ea inclinatione Burgundiæ Dux ratus, exurgit,manuque ſilentio facto, vt erat ex dolore commotior, voce flebili ſic incepit. Amici Principes,& ciues auditæ. Eccleſiæ amamtiſſimæ Matris iniuriæ, quod ad me attinet, inultæ non abibunt. Certum eſt pro illius ſalute, & gloria, quidquid eſt reliquum vitæ fluxæ,ac periture in mortem rapere: Sacramento fidem obligabo cum liberis meis, vos quæ veſtræ ſint partes, cogitate.His dictis prouolutus in genua,alta,claraque voce, Deo vouit ſacram militiam, bellumque pro fide. Exemplum Ducis ſecuti primò filij, dein Principes:mox vniuerſa nobilitas,coniurarunt. Ita conuiuium illud tot militaribus minis perſtrepens, mutatum in caſtra videbatur, an veriùs in templum, tot conceptis religioſiſſimè ſacramentis,& votis?

In-

Ingenuitatem Belgarum excepiſtis, orationem haud abſimilem exiſtimate. Imago enim mentium oratio eſt, & homines ita loquuntur, vt viuunt.

Luſtratis Belgij morbus, & ſtilo, pendet animus, num in proximam Britanniam nauiget, hac tempeſtate non magis Oceani ſui, quam ſeditionum æſtibus circumſonantem. Adire nihilominus iuuat, & ex ipſis turbis, ac turbarum cauſis, quæ ſit Anglicæ facundiæ natura, cognoſcere.

Britanniam inſularum Reginam, quæ in medio mari alterius orbis imaginem præfert, ſi Solino credimus, in ſeditiones, & bella ciuilia, nihil aliud tā præcipitem impulit, quam e cæli, ſoli maris, aeris indulgentia, hominū intoleranda felicitas. Nā meritò neſcio quis in panegyrico ad Conſtantinū eā beatā appellat: vbi nec rigor nimius hyemis, nec ardor æſtatis: nemora ſine immanibus feris, terra ſine ſerpentibus noxijs, contra pecorum mitium innumerabilis multitudo lacte diſtenta, & onuſta velleribus; dies humanæ vitæ pars

cha-

charior, quam longiſſimæ, nullæque noctes, ſine aliquo lucis ſolatio. Sed non tantum hæc bona terrarum, & cœli, Britannos macerant, verùm etiam (quis credat) ipſæ animorum opes, ingenij bona nocent, indoles minimè humiles, anhelanteſque ſublimia. Seu virtus ſecreta eius cœli, ſeu ſalſedo ambientis maris, ſanguinem Britannorum attenuat, ſpirituſque ingerit tenues, ac nobiles, certè ex conſcientia ingenioſi acuminis, parùm alijs credunt, plurimum ſibi. Hinc relicta ſemel catholicæ fidei regula, tot ſectarum diſſidia, & dignus hereſum partus, ſeditiones, & bella. In contentionibus porro ciuilibus nulla parſimonia illuſtris ſanguinis, etiã regalis. Vt grauis author Commineus teſtetur, in bellis inter familiam Eboracenſem, & Lancaſtriam, plus quam octoginta Principes regiæ ſtirpis ferro interemptos. Seu tam cæcus irarum eſt furor: ſiue ambitioni victimas purpuratas litant, vt chariores: ſiue auari neſciunt alieni eſſe ſanguinis, cum largi ſint ſui. Felices! ſi quemadmodum lupo-

rum immanitatem ex inſula, ſic odiorum ciuilium rabiem exterminare potuiſſent.

Cæterùm ob ingenij præſtantiam, acumenque viuidarum mentium, cum ideas rerum, & formas animo facilè comprehendant, quidquid agunt in eo toti, partes, quas ſuſtinent, haud minùs bellè gerunt in vita, quam in ſcena.

In bellis fortitudine, ac peritia armorum in tantum efferbuere, vt argumenta fabulis dederint de Arcturo Rege, equitibuſque errantibus: certè ſuos martes, minimèque fabuloſos habuiſſe teſtantur hiſtoriæ. In Oceano quaſi propria poſſeſſione decurrendo, mira felicitas; ita vt Orbe terrarum circumnauigato Neptuni filij meruerint ſalutari, Sin maiora humanis conatibus, ac Deo propiora ſunt ſecuti, nulla gens plures martyrum laureas intulit cœlo. Illa vndecim millia palmarum, tantumque virginalis ſanguinis Vrſula Duce profuſum, Btitannico ſolo, & lacte coaluerant. Nulla regio tot cœnobitarum agminibus cœleſtem vitam

cele-

celebrauit in terris. Nulla tot regum diademata diuorum faſtis inſeruit. Quod ſi fato viciſſitudinum humanarum hæretico nunc ſceptro tenetur, regnum olim ſponte ſua Petro Apoſtolo vectigale, & Romanæ Sedis propugnaculum; compenſant calamitatem tantam prouentus magni virtutum. Nam voluntaria nobilium familiarum exilia, bonorum omnium abdicationes pro Chriſto, ſanguinis, ac vitæ generoſæ profuſiones, quotidiana apud Britannos hoc ſæculo, antiquis illos primitiuæ Eccleſiæ heroibus æquauerunt.

Tam præſentium animorum vigor orationem quoque informat, ac roborat. Hinc ea vis efficaciſſima omnia ad viuum repræſentandi, vel oculis obiecta per geſtus, vel auribus inſinuata per voces, in tantum, vt aliæ quidem gentes eloquentia animorum interprete vtantur: Britannorum in ore, ac nutibus ipſe conſpicuus ſit animus, tam concinne, tam accommodatè ad decori leges, vt Principibus viris ad perfectum collineantibus Britanni ſuarum

partium in ſcena imitatores, imitandi ſint.

At relicta Britannia breuique oceani tractu remenſo, Galliam ingrediamur hortum Europæ. Nihil amænius iis terris, nihil vrbibus cultius, nihil ſuper illarum gentium humanitatem, & leporem, conditius, atque amabilius. Innata Gallicæ nobilitati comitas eſt, patriæ regionis genio conſentiens. Ornatus veſtium intra virilē elegantiam decens, Cæſaries tam culta, vt ne capillus quidem peccet, colore oris candido, oculiſque acri, ſed feſtiuo conſpectu, facilitatem promittentibus plurimam, ſed generoſam.

Illud verò pœnè miraculo eſt in Gallicæ nobilitatis indole, pugnantia quodammodo coaleſcere; cum comitate ferociam, cum elegantia vitæ, ſtudiū armorū, & ſanguinis, cū amabiliſſimis vultibus, pugnaciſſimas manus. Si æris canor increpuit, quid Gallis bellicoſius, ad martis campum mutatis equis tanquam ad nuptias prouolantibus?

tibus? ſi poſt tubam lyra perſonuit, quid iiſdem feſtiuius, in theatra cum choro,& cantu redeuntibus? quaſi nihil interſit, de conuiuio ſurgunt ad certamen, a certamine cõuiuium repetunt, quem hoſtem ſuſtinuere, fruituri conuiua:& cuius ad eadem vulnera miniſtrauerant, pocula propinantes ad ſalutem. Nuſquam frequentiora duella aut maior impetus, ad ſanguinem profundendum; nuſquam ſaltationes, vocumque moduli teneriores. Nimirum extremis altero alterum temperantibus, primis legum Imperiique Gallici fundatoribus e republica viſum fuit, hanc deliciarum quaſi aquam infundere, vt igneos nationis bellicoſſimę ſpiritus mitigarent. Certè grauis rerum publicarum magiſter Polibius, ſeueriſſimis olim pœnis in Arcadia ſancitum affirmat, vt iuuentus omnis vſque ad trigeſimum ætatis annum ſe in muſicis oblectaret: vnde illud Virgilii:

ſoli cantare periti
Arcades

vt videlicet in populis montanæ, geli-

lidiſſimæque in Græcia plagæ cultoribus, durities animorum glaciei ſimilis, & rupibus patriæ, ſuauiſſimis neruorum, vocumque cantibus molliretur. Quod ſaluberrimū inſtitutū cū aliquando Cinethenſis Arcadiæ ciuitas intermiſiſſet, in ſeditiones ac cædes inhumanas præcipitauit, vnà cum muſica concentu pacis extincto. Quamobrem canendi leges omnium delicatiſſimæ Lidij, & Ionici modi, quos vt virtutis corruptores vel in Romanis fœminis execratur Horatius dum queritur

Ciere motus gaudet Ionicos
Matura Virgo:

In Galliam ſapientiſſimè inducti vigere dicuntur, vt Gallicus ex hac Polibij doctrina ſcriptor teſtatur, tam quam opportuna ferocitatis immodicæ lenimenta Huc fortaſſe reuocantur & illa, oſcula. ſalutationibus mixta, capillus in viris, perinde ac fœminis comptus, in inceſſu, veſtitu, ipſa quoque voce deliciæ, hoſpitalitatis ſtudia, amores inter arma, cæteraque, qui-

bus indoles viuida iuuentutis quæ in Italia noſtra (vt damno ſuo Annibal ſenſit) nimis emollita langueſceret, in Gallia temperata promouetur in melius.

Videntur (is eſt impetus) in vulnera, & mortes ruere, conſilio tamen certo iudicioque feruntur; ita vt ſanguinem hoſti non donent, ſed carò vendant pretio victoriarum, & vrbium. Regem ex æquo adire ſoliti, adorant tamen, & regia in ſuos comitas amores auget, integra reuerentia. Quod ſi aliqnando depoſita fortunæ mole Rex cum æqualibus luſerit, & reſumere perſonam placeat, continuò alios diceres, mutata ſcena in tam profundum obſequium, amici antea & æquales, componuntur. Sinceros, & apertos crederes, tanta innocentia agunt, nil tamen ſimplicitate peccantes; neque ſpiritus illi, qui à corde profuſi lætitiæ ſcenam exporrigunt in fronte Gallorum, eadem facilitate arcana cordium euocabunt ad linguam. Quin ille ipſe candor inge-

genuus inter inſtrumenta politicæ prudentiæ eſt; ſeu quòd eorum, quibus cum verſantur, amorem facilè promeretur, ſeu quia ſuſpicari nil ſinit altius, de ingeniis lætis, & generoſis. Cum Caius Cæſar non homines hilares, & explicatos, vt Antonium, & Dolabellam, ſed triſtes, ac vultuoſos, Brutum ſcilicet & Caſſium, ſubuerendos exiſtimaret. Quare maximi, & experientiſſimi Principis iudicio eam Gallis laudem attributam accepimus: altiſſimè ſapere, nec videri. Cœterum animos quantælibet doctrinæ capaces ad arma procliuiores facit, cum ingenium Cæli, ſolique, tum conſcientia veteris gloriæ, qua generis humani faſtos impleuerant; ita vt paucæ reperiantur nationes Gallorum armis intentatæ. Nam & olim primi mortalium Romam capi poſſe docuerunt, ea propter Quiritibus rerum dominis in tantum formidati, vt ingruente Gallico bello ſenes, ac ſacerdotes dare nomina cogerentur. Cum perſuaſum videlicet haberent, vt

author eſt Cicero, cum aliis gentibus de imperio, cum Gallis de ſalute dimicari. Conſecutis dein ſæculis obſequioſa *Romæ* arma ſtrinxerunt ſummis Pontificibus in Vaticani ſolium ſepius reſtitutis, & Apoſtolicæ ſedis patrocinio, vel vltioni, infenſis Regibus, populiſque mactatis, non alia ſanè mercede quam pietatis, & gloriæ. Eadem inducti, Vrbano II. Pontifice in celebri Claramontano concilio, ſacræ militiæ auctores, ac duces Orientem triumphalibus Auriflammæ vexillis peragrarunt, vindicato in libertatem Francorum armis magnam partem Chriſti ſepulchro. Vbi poſtquam ad centum annos procul à patria, ſuorumque ſubſidiis hæſere, poſt retentatam aliquoties Paleſtinam, & improſperas quidem, ſed aliorum Regum triumphis anteferendas D. Ludouici expeditiones, qui captus a Saracenis, vt pacem victoribus daret, tributo quadraginta millium aureorum fuit exorandus, non ſolùm victoriis ſuis terribile, verum etiam cladi-

dibus, gentibus illis Francicum nomen reliquerunt.

In Europa propagatis ad Rhenum Oceanum, Pireneos, & Alpes imperii finibus clari, Neapolitanum regnum, Siciliam, & Inſubriam, magnam *I*taliæ noſtræ partem tenuerunt, impoſitam ſibi a Romanis dominationem, & arma vindicantes. Quamuis ob incuriam, & ſecuritatem, cui ſe permiſere victores viri vulnerum, quàm otii tolerantiores, quæ multo ſanguine, ac labore comparauerant, nullo amiſerint, non tam hoſtium virtute, quam nimia ſui fiducia profligati. Perpetua igitur atque connexa principatus ampliſſimi mole, ac viribus tremendi, faciliùs rerum humanarum arbitros agunt, quam dominos; aduersùs externam violentiam inuicti, & dum modò conſentiant ſibi, omnibus pares. Ea eſt copia virorum fortium; paleſtra ducum, & ſeminarium pugnatorum, qualemque mirabatur in vna Vrbe Pyrrhi Cyneas, in omni paſ

ſim Gallia feruere videas fontem ſanguinis bellicoſi:magnis alendis exercitibus annonam parem , & beatis Indorum gazis æquandam fæcunditatem . Siquidem aliæ gentes ad quærenda vitæ vſibus opportuna opus habent cum argento , & auro adire Gallos,ij neminem,ſuo mundo felices. Cum itaque in arma propenſi , maiorem vitæ partem , vt olim Romani ſub pellibus degant,ſtudium adhibuere,vt bellum rem ſuapte natura crudelem,quæſita humanitate condirent. Inituri certamina, & ante colloquuntur humaniter cum hoſte , & in congreſſu mutuò conſalutant ; quin illaturi vulnera gladij capulum , aut ſclopi oſculantur,vt appareat non immanitate, aut odio , ſed æmulatione gloriæ arma tractare , ſeu communi fato generis humani,quo ira Numinis pœnas a mortalibus exigente,bella donec crimina,crimina donec homines erũt Quare quẽadmodũ cædes ferarũ venationem dicimus , ita homines perimere artem fecimus militarem.

Hæc

Hæc ſuauitas indolis bellicoſæ in eloquentiam transfuſa facit, vt aculeo ſimul pungat, dum melle delectat. Quemadmodum Galli arma venuſta tractant, ſic argumenta. Nec minus iſta ſuadent, quàm illa vulnerant. Imitantur magnificentiam veterum Romanorum, qui aureis, argenteiſque venabulis vtebantur in theatris, vt iis feræ transfixæ vulneribus, & morte ſuperbire viderentur. Haud ſecus oratores Galli, tam ſpecioſa facundia mentes auditorum profligant, vt illi clade delectentur ſua. Huc fortaſſe alluſit fabula dum Gallicum commenta eſt Herculem catenas aureas ore fundentem. Quibus videlicet animi obligati ament compedes tam decoras, & in votum abeat captiuitas pretioſa. Neque enim lumina ingenii, et argutiarum delicias, feſtiuoſque lepores, & ſales deſideres vel in ſeria oratione Gallorum. Cum Ludouicus XI. ad mortem Comitem S. Pauli deſtinaſſet, inuitaretque in aulam per epiſtolam, qua ſignificabat ſibi opus

eſſe capite, quale Comes haberet, addidiſſe fertur familiaribus explicationem atrocis ioci, cum diceret: Opus habeo Comitis capite, ſed reciſo.

Haud abſimili ludo, ſed innocentiore vſus eſt nobilis Gallus, qui a Duce S. Marci rogatus, vt coniurationi contra Cardinalem Richelium Principem Regiæ miniſtrum nomen daret, periculoſæ plenum opus aleæ per iocum declinauit, quo ſuam ipſius formam feſtiuè traduxit. Non perſuades (inquit) o Princeps. Quamuis enim mea in tanto facinore præmia tuis paria eſſent, pericula certè maiora ſunt. Etenim ſi coniuratio detecta (uti crebro contingit) vtrique noſtrum luenda ſit capite, tibi qui perampla es membrorum mole ſublimis, & pulcher, etiam detracta ceruice, adhuc ſupereſt truncus ſua proceritate ſpectabilis: mihi verò qui paruo ſum corpore, & gibboſo., ſi adimatur caput, euadam nullus.

At lepidè ingenioſum videri potuit illud inuictiſſimi Regis Henrici

IV.

IV. Dum Heluetio tribuno ſtipendium ferociter efflagitanti, exclamantique: tria verba (o Rex) pecuniam, aut miſſionem: ſtatim ſubiecit Henricus: Quatuor verba: neque pecuniam, neque miſſionem.

Glorioſiſſimo hic auo ſubtexere libet regnantem hac tempeſtate nepotem, haud inferiorem patriis, & auitis virtutibus futurum, vbi indolis auguſtæ præſagia ſua ætas impleuerit. Cum Poloni nobiles Annam Gonzagam Vladiſlai Regis ſponſam in patriam deducturi Lutetiam ingrederentur, & ex iis quidam, qui ſuum, & vectoris equi caput magnifico plumarũ ſuggeſtu ædificauerat, cum in foribus palatii ante oculos Regis equo lapſante concidiſſet, tunc vnus ex ephebis: Cecidit (inquit) o Rex Michael ille; ſic hominem à multitudine pennarum appellabat, quem ſtatim Rex mira in iis annis ingenii maturitate redaguit: Caue (inquit) hoc dixeris: nam ſi cecidit, non Michael ille, ſed Lucifer.

Ve-

Verùm quantam Gallicæ facundiæ ſuauitas, non ad oblectandum modò, ſed in quo vertitur artis gloria, ad perſuadendum vim habeat, exemplo palam fecit Lupus Trecenſis Antiſtes, quando Attilam Hunnorum Regem qui Dei flagellum vocabatur, in exitium vrbis aduentantem non legationibus & donis, ſed piæ pompæ ſpectaculo, amabiliſque orationis ſuauitate propulſauit. Quid enim? Hoſtilis exercitus horrendum tubis canens ad oppugnationem veniebat? Antiſtes ſacri æris ſonitu, populo ſupplicationem indixit. Extulit ille venerata legionibus ſigna aues, aut ſerpentes in aere illapſu aurarum ſibilantes: ſuſtulit hic Redemptoris è cruce pendentis imaginem Cælo, terris, ventiſque famulantibus adoratam. Ille peditum phalanges tergis ferarum contectas, ſuis diſtinctas ordinibus emiſit in campos, leui, aut cataphracto equite circumfuſas: hic pompæ ordines variauit, alios candido lino lucentes, illos ci-

li-

liciis horridos, hos flagellis armatos. Exaudiebantur illinc iræ fremitus, voceſque cædem anhelãtium:hinc ſuſpiria, gemitus & preces, veniam criminum depoſcentium. Iis clamoribus expugnari mœnia videbabantur, his Cælum. At ſuccedente muris hoſte patefactis repente portis, ſe generoſum agmen effudit. Quod ſpectaculum Deus immortalis, quã horribile,quam iucundum? illorum vultus cernere truces,& ſuperbos,horum mites,& tranquillos: ſed confeſtim variante ſcena illos ob nouitatem miraculi attonitos, & pauentibus ſimiles: hos erectos conſcientiæ fiducia, interque media arma de Cælo ſecuros. Per vtramque aciem ſacerdotalibus indumentis decorus Antiſtes,cui macies, &dolor venerationem augebant, ad tyrannum acceſſit, Si tua ſponte huc accede res (inquit) videres c. m armis ſtantes proturribus, & mœnia patriæ pectoribus protecturos. Sed quoniam Dei flagellum te nominas, nefas p utauimus obſiſtere ducto-

ri

ri cæleſtium irarum, quin vltro obuiam effundimur, vt iſtam dexteram quamuis dolorum miniſtram, quia vicaria eſt Numinis oſculemur. At vide, ſi Numinis vltor accedis, his armis, quibus Chriſtiani Cælum ipſum ſapienter petimus, & expugnamus, pulſus abſcedes. Aſpice pueros, virgineſque plangentes innocentia pectora, & crimina, quæ non admiſere luentes. Cerne illos inundantes lachrimis, & ſanguine vias, diuinæ Iuſtitiæ chariores partes vitæ ac ſpiritus immolantes. Quid aliud a nobis expoſcis ò flagellum Dei? Præuenimus tua miniſteria, in quo conſumas crudelitatem non habes. Niſi malis ferire iam vulnera, & ſupplicia torquere ſupplicijs. At in hoc Dei flagellum non referes. Dominus eſt, non Tyrannus, iudex, non carnifex Deus. Parcit non parcentibus ſibi, neque punit ſui punitores.

Ad hæc leniſſimæ facundiæ tormenta, excuſſæ cecidere de pectoribus iræ, de manibus gladii. Ceſſerunt arma il-

lius

lius vocibus, cuius votis aſtra iam ceſſerant. Ille minax, ille ferox abiit pulſus ab inermi. Mutauere lachrymæ vultus, & ſerenante lætitia ciuium ora, hoſtium oculi feritatis gelu eliquato immaduere.

Iam verò ex Pireneo iugo deſcendentibus contemplanda obiicitur celebrata elogio Gallici Oratoris Hiſpania. Quæ nec auſtrinis obnoxia æſtibus, nec arctois ſubiecta frigoribus media fouetur axis vtriuſque temperie: quæ hinc Pireneis montibus, inde Tirrheni maris littoribus coronata, naturæ ſolertis ingenio velut alter Orbis includitur. Adde tot egregias ciuitates, adde culta incultaque omnia vel fructibus plena vel gregibus, tot auriferorum opes fluminum, tot radiantium metalla gemmarum. Hæc duriſſimos milites, hæc expertiſſimos duces, hæc facundiſſimos oratores, hæc clariſſimos vates parit, hæc iudicum mater, hæc principum Traianum illum, & deinceps Hadrianum, ac Theodoſios miſit Imperio. Hactenus

nus Pacatus de Hiſpania Romanis ſubiecta & vectigali. Quid ille nunc diceret, ſi eamdem latiſſimè in Europa, & America, in Aſia quoque & Africa cerneret dominantem, nouos Orbes imperiis in Oceano natos, & vltimi mundi theſauros nauigantes in tributum? Si ex marittimæ *Hiſpaniæ* littoribus eos ſoluiſſe Typhes miraretur, qui ridendas poſteris columnas Herculeas darent, qui tanquam patriæ campos ararent Oceanum, paruaque manu centenas barbarorum miriadas funderent, naturæ ante victores, qui per incognita maria, terraſque cũ diurno ſidere delati Chriſtianæ fidei circumferrent diem, & Solis incunabilis, & ſepulchro, Solem inueherent. Franciſcum certè Xauerium Euangelij tubam in Oriente, quem Nauarra terris, Gallia Chriſto peperiſſe gloriatur, dum Apoſtolicis ornatum prærogatiuis Ioannes Tertius Luſitaniæ Rex in Indiam miſit, viſus eſt ad honores, & nomenclaturam cæleſtem deſtinare.

ita

ita vt rudimenta tanti Herois aliis gentibus, perfectum conſummatumque Xauerium Luſitaniæ debeamus. et quidem cum fœnore, cum non minus Luſitanis de Barbaro trium phis Xauerius adſpirauerit, quã Xauerii de Demone victoriis Luſitani.

Antiquisſimo æuo ſimplex adhuc Hiſpania, & rudi tantùm ferocia terribilis, hinc Romanis, illinc Punicis exercitibus laceſſita, pretium ſe factam ambitioſorum certaminum ante vidit, quam magnitudinem ſuam circumſpicere, & vires intelligere poſſet. Serò tamen, & ducentos ferè poſt annos, in poteſtatem Romanorum non niſi per partes victa conceſſit, documentum præbens, quantam moram magnitudini Romanæ fuiſſet iniectura, ſi maturè vniuerſis ſubnixa viribus conſurrexiſſet ad bellum. Et ſic quidem ægre perdomita, non inultam libertatem cariſſimo heroici ſanguinis pretio addixit licitantibus Romanis, per exercituum cædes, per Scipionum funera, & Q. Pompe-

io

io , Mancinoque conſulibus ad indecora fœdera compulſis. Ad extremum Sertorio Duce adultæ iam Romanorum potentiæ, & Africæ, atque Aſiæ ſpoliis tumenti, tantum negotii faceſſere viſa eſt, vt Velleio Romano Hiſtorico teſte, ad quinquennium in fortunæ rota lis iniudicata pependerit, vtra in gente Italica ne an Hiſpana, plus ineſſet virtutis, ad orbis terrarum imperium promerendum. Et quamuis id temporis pro Romanis litem fortuna deciderit, vt aliquot poſt ſæculis pro Africanis, quando poſt Rhodericum Regem in illo memorabili octo dierum prælio extinctum, ſe Ciſpaniæ, Mauritania tota ſuperfudit: non ceſſauit tamen Hiſpana virtus ab hac fortunæ ſententia veluti iniquiſſima prouocare tam proſpero ſucceſſu, vt per clades ad triumphos, & imperia velificata fuiſſe videatur. Quemadmodum enim olim Spartani, dum Thebanos continentibus præliis ſuperatos exercent, diuturna tractatione armorum in-

inſuperabiles reddiderunt; ad æmulationem fortitudinis Epaminondis, & Pelopidis excitatis: haud ſecus Hiſpania, dum modò Italicis, modò Punicis execitibus obſidetur, ab his Africanas artes, ab illis Romanas virtutes didicit, & Scipiones, Annibaleſque commiſcens, in Ferdinandis illis ſuis, Cordubenſi, Corteſio, Albano, cæteriſque, par euaſit maximis imperijs, & occupandis, & retinendis.

Nimirum illa non modica Romanæ patientiæ, & magnanimitatis lineamenta, facilè in Hiſpanica indole recognoſcas: quòd in proſperis moderata ſatis, & ſui potens, in aduerſis infracta, per damna, per cædes ab ipſo ducit opes, animoſque ferro, & quantalibet rerum difficultate prematur, adeò non deſperat, vt in extremis conſtituta de ſummis dimicet: nec improſperè quidem, cum fortunæ fauor, vt canit Poeta, per audaciã, & animi magnitudinem exoretur. Quemadmodum videlicet Romanos accepimus à Pyrrho, Carthaginenſibus,

 bus,

bus, aliiſque gentibus, aliquàndo prœlijs victos, bello nunquam, poſt maxima Reipublicæ vulnera, non de ſalute modò, ſed et de imperio feliciter decertaſſe. Multum verò Africanæ ſolertiæ præſeferre videntur Hiſpani in eo, quòd vtcumque ſe habuerit mars communis, & varia fortuna bellorum, in fœderibus ad vltimum tranſigendis, & pace, cum dignitati ſuæ, tum vtilitati ſemper egregiè conſuluerint. quod ſane allatis hiſtoriarum exemplis non imperitus rerum politicarũ ex æmula gente ſcriptor, in ſuis de Republica libris, eruditè confirmat. Ecquid igitur mirum ſi dominarum olim nationum virtutibus imbuta Hiſpanorum gens, non modò à ceruicibus ſuis, & reliquo ampliſſimæ regionis corpore omnem externum Principatum depulerit; pulcherrimamque inter Pireneos montes, & mare Imperij molem fundauerit, verùm etiam altiùs, quam pro libertate ſpirans, pro dominatione arma corripuerit, eamque in Europa, quin Orbe

be terrarum vniuerſo claram, formidandamque effecerit, aduolutis iure ſanguinis, vel armorum, ad Hiſpanam magnitudinem prouincijs, & regnis à ſi non ignobilibus Italiæ noſtræ membris, pro illato ſibi quondam à Romanis iugo, dominationem repoſuerit: nec veteres Pœnorum, aut recentes Maurorum iniurias oblita, maritimas Africæ arces portuſque præſidijs inſederit, vlteriùs, ſi per continentia cum bellicoſiſſimis populis bella permitteretur, auſura; Cum Carolus Quintus Cæſar binis in Africam expeditionibus, & Ioannes Auſtriacus deſtinato ſibi Thunetano ſceptro, alijque Reges anniuerſariis penè in ea littora incurſionibus, quantum Hiſpania ſuper Africam virium gerat, & animorum oſtenderint.

Rari in Hiſpania venti, iique puriſſimi, ſerenum plurimùm Cœlum, Cœloq. ſuo ſimiles Hiſpanorum mentes haud facilè perturbationum tempeſtatibus quatiuntur. Hinc inſita genti grauitas, & ex maturitate conſi-

Sed recentiora felicioris exempla virtutis non defuere. Quoties fortiſſimorum exercituum obſidionem inexpugnabiles ſuſtinuere? Quoties incredibili pedeſtris agminis in ſuo gradu conſtantia, aut victoriam f iſſis extorſere hoſtibus, aut reliquis copiis fuſis, dum intacti inuiolatique recedunt, pro victoribus ſe geſſerunt? Memorabile perhibetur, & Hiſpanis quam glorioſum illud maximi, fortiſſimi, & inimici *R*egis elogium. Cum Henricus quartus Ambianum, quæ vrbs in Hiſpanorum poteſtatem non ita pridem venerat, ad deditionem vrgeret, & portantes auxilium Hiſpanos, quæ initio fauerat, ad vltimum fortuna deſtituiſſet: retrocedere compulſi, tanta fiduciæ oſtentatione ſeruatis ordinibus pedem retulerunt, vt Henricus ab omni parte cum equitatu Gallico aſſultans, cum non dicam fugæ, ſed ne leuiſſimi quidem timoris confeſſionem extorquere potuiſſet, exclamaret: O me terrarum Orbis domitorem, ſi equitibus m-is Hi-

ſpani pedites adiungerentur, & viuidum, plenumque impetus Gallicæ nobilitatis ſpiritum, Hiſpana conſtantia ſolidarem.

Cum Carolus Quintus in Africam exſcenſionem feciſſet, duo millia Hiſpanorum prædandi gratia longiùs ab exercitu abſceſſerant. Non defuere ſibi Mauri, in occaſiones intenti, quin ad triginta equitum millia paucis illis cohortibus circumfunderentur. *H*iſpani ſtatim de more militiæ, conformata in quadripartitam frontem acie, ab omni parte ſariſſas obuerſas, & tubos incurſantibus barbaris oppoſuerunt. Res vix credibilis! bidui ſpatium illos iter, & pugna detinuit, nemine niſi vno, qui ad ſpoliandum hoſtem ordinem deſeruerat, deſiderato; ita vt illa ſagittarum hoſtilium nubes, ad ſolem tantùm æſtumque præliantibus, ſubmouendum offuſa videretur. Quamobrem cum defuncti tandem periculo in caſtra ſuccederent, ex hoſtibus vnus obequitans, pharetra exhauſta, arcuque

la-

laxato, hanc vocem admirabundus emiſit. Ite, & bene valete *Hiſpani*: meritò vos dominos, magna pars mariũ, & terrarum adorat, qui tantulo numero, tantam multitudinem ſuſtinuiſtis. Væ Africæ noſtræ, ſi vniuerſas imperij veſtri vires experiri contigerit.

Hoc animorum habitu, & exemplis tam peruicacis conſtantiæ meruerunt Hiſpani, vt maieſtatem illam, quam vultu, oculis, inceſſu, veſtibus magnificis præſeferunt, non ex inani faſtu, ſed ex conſcientia virtutis oriri credamus; quandoquidem, magnanimi eſt (inquit Ariſtoteles) cum magnis dignus ſit, magnis ſe dignum exiſtimare. Fortè in Belgio cum ſuis ducibus feſtiuè, iocoſèque militarem in morem verſabatur Carolus Quintus. Accidit, vt ad negocium vocatus breui mora diuertere cogeretur. Per id tempus in eum cœtum ſe intulit Philippus filius Hiſpaniarum Princeps, qui duodennis ætate, ante annos curas, animumque virilem gere-

bat. Continuò vultum Principis ſecuti Duces, in parem grauitatem, & modeſtiam componuntur; tanta ſcenæ mutatione, vt licentiam theatralem in ſenatoriam grauitatem commutatam diceres. Reuerſus, expedita re Cæſar, mirari ſilentium conclauis paulò ante iocis, & facetijs perſtrepentis. cauſamque ſciſcitanti ſubiecit vnus ex aulicis: Aduentus Hiſpaniæ Principis, ò Cæſar, infudit militibus tuis, tam inſolentem modeſtiam, tam prodigioſam ſanctitatem. Delectatus eſt indole filij Carolus, qui ſciret, grauitatem in puero, perinde ac in ſene comitatem, raram eſſe virtutem. Cum tamen aduerteret Duces ſuos, quamuis à ſe iuſſos verecundanter, & timidè coram ſerio Principe inſanire, paterno imperio Philippum ab eo cœtu ſubmouit per iocum inquiens: Abi hinc Hiſpane. Tanti ſupercilium pueri Principis Duces illi, ac principes faciebant, vt in illius conſpectu, ne authore quidem Cæſare, deſipere auderent.

Verùm

Verùm ſi miraculo eſt pueruli Regis grauitate compoſita licentia militaris, quid erit populorum turbas in bellum erupturas Regij cadaueris maieſtate fuiſſe ſedatas?

Fato conceſſerat Alphonſus huius nominis V I. Caſtellæ Rex, qui Toletum expugnatum redegerat in poteſtatem. Poſt eius mortem Mauri tumultuari cœperunt, haud ſanè contemnendo motu, cum victi numero victoribus ſuperiores, ſuas vires intelligerent. Regina vidua, Aulici, & omne Chriſtianum nomen Toleti trepidabant; propterea quòd barbarorum animos arte nulla placabiles experirentur. Tandem ſeditioni magis, magiſque gliſcenti, diuinitus (credo) iniecto conſilio occurſum eſt. Ipſum Alphonſum Regem, quem ob fortitudinem terribilem Mauris, charum propter iuſtitiam fuiſſe ſcirent, extractum à tumulo, & Regalibus ornamentis conueſtitum, aureo diademate fulgentem, & ſceptro, circumfuſis, perinde ac ſi viueret, corporis cuſtodibus,

bus,& reliqua aula,in patenti geſtatoria ſella, tota vrbe ſublimem circumducunt. Apparuit tunc quantum valeat inueterata erga virtutem reuerentia: &, contra quam Romanæ hiſtoriæ ſcriptor pronunciauit, maieſtatem aliquando non ſolùm ſine viribus, ſed etiam ſine anima valere. Extincti Alphonſi vultus à Mauris adoratus, ſeditionem repentè compeſcuit, dexteraſq; ad exitium Chriſtianorum iam facibus, ac telis armatas, vnius cadaueris authoritas exarmauit. Prædicent Venetorum, & Bononienſium annales duorum ſenatorum immortalem grauitatem. Seu quando Venetiis, coortam inter ciues, & nautas ſæuiſſimam contentionem, cui ſedandæ neque Venetiarum Dux, neque ſacerdotes cum infulis pares fuiſſent, vnus Petrus Lauredanus patritius ſenex authoritate compreſſit: ſeu quando Bononiæ furorem ieiunæ plebis ex annonæ charitate implacabilem, Pirrhus Maluetius præſentia, & voce ſua tranquillauit. Glorietur Agrippina apud Cor-

ne-

nelium compreſſam à fœmina in Germania legionum ſeditionem, cui nomen Tiberii Principis obſiſtere nequiuiſſet. *His* profectò ad tanta nitentibus, plurimum contulere oris ſpirantis vigor, viuidi oculi, nutus, verba, & inde aut præmiorum ſpes, aut offenſarum metus. Nulla hæc in Alphonſo, exanguis vultus, os mutum, caſſus oculorum vigor, nullæ ſpes, nulli timores, & vmbræ tantùm gelidæ reuerentia. Attollent igitur alij, ò Alphonſe, victorias, & triumphos tuos. Fuere nec oppido pauci qui triumpharint. Seditiones nunquam compreſſas legimus cadauere triumphali. Bis Toleti, bis Maurorum domitor! incertum vtrum maiori cum gloria Toletum expugnauit viuus, an recuperauit extinctus?

Iam verò quis non vereatur viuentem eorum Principum virtutem, quorum reliquiæ intermortuæ ſpirant, & contumacibus populis obſequij neceſſitatem imponunt?

Neque fortaſſe minus ad *Hiſpanæ*

maie-

maieſtatis gloriam ſpectat loquentis cadaueris, quam tacentis authoritas; plauſumq,meretur in hac officina eloquentiæ prodigioſa cordis oratio,quæ initio auditores experta contumaces, mox cum deferbuiſſet irarum furor, recurrente memoria cordatæ facundiæ de Americana barbarie triumphauit.

Rocchus Gonzalez Hiſpanus è ſocietate Ieſu Sacerdos in Vrugaia regione Paraquariis finitima primus Chriſtianæ Religionis ſementem fecit. Iam optimi cultoris induſtriæ, actis altè radicibus fidelis reſpondebat ſeges, cum hominis improbiſſimi odio conflata tempeſtas, in tanti muneris authorem debacchata eſt, & felicia germina in ſpem pulcherrimæ meſſis adoleſcentia, cuius irrigata ſudoribus creuerant, ſanguine redundarunt. Nam proximæ regionis Dynaſta, qui auguſtiſſimum diuinitatis nomen arrogabat ſibi, cum egregii Sacerdotis doctrinam de vno rerum omnium Imperatore Deo, ſuam perditum ire cerneret vanitatem; innocentiſſimi vi-

ri

ri interitu, & ſanguine ſtabiliendam, conſecrandamque putauit diuinitatẽ ſuam. Cum altero igitur eius regioni præſide, vbi curationi animorum vacabat Pater, per litteras communicato conſilio, præmittuntur mancipio duce ſatellites, qui Gonzalium in erigendo campano templi ære occupatum, à tergo repentè adorti ſaxeas pilas fune ſuſpenſas, quod telum eſt gẽtis, in caput intorquent, repetitis ictibus comminuunt, buſtumque à capite reſectum longè deturbant. Poſtero die cum ad ſpectandam cædem conueniſſent, res accidit plus admirationis habitura quam fidei, niſi ipſorum, qui tam nefario facinore polluti ad ſanitatem poſtea redierunt, trium ſupra quinquaginta teſtimonio confirmata litteris monumentiſque grauiſſimis memoriæ poſteritatis commendaretur. Dum immanes illæ furiæ ſatiatis carnificina dexteris oculos paſcunt, à capitis, & linguæ conſortio diſiuncti corporis inconcuſſæ perſonant fibræ. pectus, quod nunquam viuens optaſ-

ſet, ſit in morte facundum, per aperta vulnerum ora, non iam ſanguine, ſed verbis cauſam perorat veritatis extinctus, cordis eloquentiam in linguæ munus inuadentis, audijt attonita, obmutuitque natura. Ipſum enim, vt apparebat, claris, diſtinctiſque vocibus, ita cor cœpit. Hæccine ingrata gens, tot exantlatis per me, meoſque laboribus præmia retuliſti? Quòd vos à vitæ inhumanitate, rituque ferarum abduxi, quod infandæ cultum ſuperſtitionis aboleui, vos oppreſſæ feritati, extinctæ ſuperſtitioni meo parentandum ſanguine exiſtimaſtis. Verùm dum tot lapidum ictibus obrutum iri ſperaſtis, animus ſua iam ſponte incitatus euolauit ad palmam. A corporis expuliſtis hoſpitio, potitus eſt Cælo. Vbi, quoquo modo de me meriti eſtis, non tamen veſtræ ſalutis fungi procuratione ceſſabo. Quin beneficiũ naturæ produxi, à qua conceſſum eſt cordi, vt poſtremum intereat, vt illo per ſe agente, quoniam vicariam interpretem cum capite linguam abſtuli.

ſtis,

ſtis extremas haſce funderem voces perpetuæ meæ in vos obſides charitatis. Si viuo negauiſtis aures, præbete extincto; ſi minus linguæ, cordis vocibus habete fidem; nudato credite apertoque vulneribus cordi, quod non amare nequit, & mentiri neſcit, vel quòd amoris eſt ſedes, vel quòd regia veritatis. O animæ cæli capaces cur immortalia negligitis, adhæreſcitis perituris? An laborioſam virtutis faciem, & cultum horretis? Quid ſi laborandum eſt quoque vitiorum vias difficiles, & iniquas calcantibus? Exiſtimetis enim velim, vos in orbe terrarum, tanquam in alieno peregrinantes ad æterna domicilia contendere. Inter ſuperos inferoſque diu medios verſari non licet. aut enitendum ad ſũma per arduum, aut per abruptũ in infima. præcipitandum. Quamcumque inſiſtatis viam, occurſabit labor; hoc vnum in veſtra eſt poteſtate, vtrũ Deo, & pro vita, an Demoni, & pro interitu laboretis. O felicem cordis eloquentiam ſi vt olim vitam, mihi

ſan.

ſanguine, per membra fuſo ſuppeditauit, ita nunc vocibvs vitam vobis præſtantiori munere pariat ſempiternã. Non ampliùs mihi vitam ſuggeret, ſed coronam : erit mihi fons vberrimus gloriæ, non ſanguinis. Sin ad hos quoque cordis amantis ſonos, natiua obſtre pente feritate obſurduiſtis, quãto ſatius eſt mori, quam in hac tanta immanitate verſari? Et licet, nec iraſci velim, nec ſi velim queam; cum profuſo iam ſanguine, irarum cordi alimenta non ſuppetant, cæleſtis tamen iram numinis imminentem vobis denuncio, quæ cæde iniquiſſima compẽſatos labores meos, contemptumque extremum cordis eloquium, maturo veſtro, grauiſſimoque ſupplicio vindicabit. Ad portentoſam orationem cordis hæſit paululum non miſericordia delinita, ſed ſtupore defixa crudelitas. Vbi ſe collegit, cor ipſum (miſerum me) quod adhuc neſcio quid flebile perſonabat, ſanguinarijs manibus excerpũt è pectore, ſpiculis iaculiſque diſcerpunt, fodiunt, & cruentant. O

ſæuiſ.

ſæuiſſimæ belluæ, quæ figuram tantùm ad ſimilitudinem hominis reſeruaſtis, nihil ne vos illa miſerandi cadaueris figura, illa vox flebilis, quæ ſaxa tigreſque flexiſſet, ille calor ſpirantis adhuc, & palpitantis cordis, ille ſanguis qui è manibus illapſus in pectora, humanitatem exulantem requirere videbatur, nihilne veſtrorum duritiem pectorum, immanitatemque commouit? Vnde recens iſta fluxit irarum eluuio? An quod amorem in vos ſuum, quos odiſſe pietas eſſet, cordis eloquentia declarauit? Quæ nam vnquam hoc fecit in Hircaniæ ſaltibus tigris, vt amantium voces vulneribus compenſaret? At ſi pœnas meretur amor, pertulit iam pœnarum ſatis. Mors, quæ poſtremum eſſe malorum ſolet, in veſtra immanitate fuit primum. Sepulturam, quam nec mare naufragis negat, nec littus eiectis, denegaſtis. Buſtum à capite, cor à pectore miſerabiliter reuulſiſtis. Vulnera vulneribus, extincto non parcentes cumulaſtis. Iam

per vos habet, vt videri poſſit pia ſola contenta morte crudelitas. erit ne ſæuiendo modus? Non erit. Inſepultum, lacerum, & ſupplex cor in flammas proijcitis, vt inauditæ miraculum charitatis, maiori feritatis prodigio ſuperetis. Sed quid ego vos incuſo, cum amanter in odio ſummo egeritis, dum cor in flammas conijcitis, quæ amicæ ſunt cordi? Veſtris iſtis conglaciatis pectoribus erat admouendum, ſi extinctum volebatis omnino, cor illud ardentiſſimæ facibus charitatis incenſum. Niſi fortaſſe perceptus iam calor timorem iniecerat, ne immane veſtræ ſæuitiæ gelu, potentiore amoris æſtu diſſolueret. Enim verò perturbatis iterum naturæ legibus, induentibus feritatem hominibus, degenerant in humanitatem flammæ. Clementiſſimæ flammæ! vos cordi omni cruciamentorum genere vexato pepercistis, in veſtris habuit incendijs ab hominum inhumanitate perfugium. *Vos innocenti* tactu dum lambitis recreatis, fulgore
inno-

innoxio pompam repræſentatis non pœnam, non rogum exhibetis, ſed ſepulchrum. Illuſtre ſplendidumque ſepulchrum Mauſolæo magnificentius, quod Phœnix inuideat vt nobilius ſuo, qui nonniſi combuſti corporis cineribus pretioſam emit tumuli claritatem. Cum in veſtris ardoribus intactum inuiolatumque cor inueniſſe ſe gaudeat, vbi ſui quondam hoſpitis animi fœlicitatem in cæleſtibus rogis perennantis æmuletur. Quem à corporis domicilio vi calamitoſiſſima eiectum Regia immortalitatis excepit, beatiſſimo diuinæ charitatis in ſinu ardenti fruiturum vita, ardoreque vitali in perpetuam æternitatem.

Tam magnificis Hiſpanorum moribus, animiſque conſentit magnificæ facundiæ pondus, verba bene ſonantia, figuræ non minùs quam veſtes ſumptuoſæ, nomina, tituli, periodi, omnia magna: breuem verò orationem vario acuminum genere, & contracta in arctum ſententiarum ma-

icſtate compenſant.

Ab Hiſpania ſoluentes in Italiam, ad vltimum veniamus, ſi magnitudo regionum famæ amplitudinem exæquaret, mundo maiorem, & cælo parem imperij quondam faſcibus, nunc Pontificiæ clauibus poteſtatis. Cuius facundiæ, ac ſtylo ſi aliquid attribuero P.P. non grauatè, vt opinor, communis parentis laudes excipietis. Quandoquidem Roma, & Italia colonijs in diuerſa dimiſſis, & externis ciuitate donatis, ſanguinem ſuum orbi terrarum communicauit, & miſcuit. Quin rurſus externæ facundiæ ſobolem facundiam eſſe Italicam profitemur. Cum enim exteræ nationes in Italiam armatæ toties immigrauerint, & erepta ſuis maioribus ſpolia (quæ rerum viciſſitudo, eſt) in patriam reportauerint, ſermonem ſuum nobis, & facundiæ partem reliquerunt. Sed vtcumque ſe habuerit fortuna bellorum (iam iſta deplorare noſtra non intereſt) illata certè à colluuione aut gentium Italiæ detri-

men-

menta Italicæ facundiæ profuerunt. Nam à Cimbris ac Teutonis, à Gothis, & Longobardis, neruos, & ſpiritus, venuſtatem à Gallis, grauitatem à Germanis, ab Hiſpanis maieſtatem, alias ab alijs laudes oratio noſtra contraxit, ita vt ſplendidi characteris notam omnium pulcherrimam coaleſcentem ex omnibus æris Corinthij fato conformaret. Quemadmodum videlicet in Corinthiaco excidio, cum innumer ex ære, argento, atque auro ſigna, & ornamenta conflagraſſent, in communes fluentes venæ metalli notam pretioſiſſimam effinxerunt, quod æs Corinthium appellatum, vt ſpecioſæ vrbis nomen in prole viueret ab iniuria matris pulchriore.

Cum autem eam differendi rationem huc vſque tenuerimus, vt in quaque gente ingenij prius animique vultum, dein facundiæ formam ab ijs non abhorrentem inſpiceremus, celebratas hactenus aliarum gentium laudes in Italicis moribus recogno-

 ſce-

ſcere libet, vnaque opera eloquentiæ ſplendorem è ſplendore virtutum emicantem, vt Italia noſtra non minùs egregiè cordata, quam facunda, agendo æquè dicendoque potens, & calamis, & gladijs fortunata, principatum Orbis armis quæſitum, pectoris, & linguæ præſtantia meruiſſe videatur.

Primò itaque laudatæ initio Germanorum ſeu ſtili, ſiue animi grauitati, & ad extremum maieſtati Hiſpanicæ, habemus in Italia exempla tum antiqua, tum noua, quæ opponamus. Nam cuius altitudinis animorum fuit, Pyrrho Epirotarum Rege magnis certaminibus bis victore pacem à Romanis flagitante, bellum maluiſſe? Cum venalem in Regis capite medicus victoriam obtruderet, non ſolùm abominatos fuiſſe nefas, ſed proditorem prodendo, beneuolentiam hoſti, quam familiares exuerant, repræſentaſſe? Cuius conſtantiæ, ſecundo Punico bello, poſt Cannas tertium vulnus, ac penè funus imperij,

perij, ne cogitationem quidem ſuſcepiſſe pacis? Quin adhuc Italiæ ſuæ, ac libertatis incertos, in Siciliam, Hiſpanias, Africam ipſam Annibalis patriam, quæ tot armorum incendia vomuerat cum ingenti belli mole nauigaſſe. A qua ſublimitate animorum, ne degenerare conſecuta ſæcula videantur, facit dignitas tot Romanorum Pontificum, Leonis, qui Totilam Hunnorum, Gregorij, qui Luitprandum Longobardorum Reges, alterius Gregorij, qui Henricum, Alexandri, qui Fridericum Cæſares, inermis Maieſtatis oppoſitu exarmatos ex hoſtibus adoratores habuerunt. Sed his omiſſis, quæ in proximis diuino faſtigio viris robur trahere videbantur è cælo, quanta Venetæ Reipublicæ grauitas, & maieſtas? Quæ dum pacem indecoram recuſauit, quam Turcicus legatus in Senatu verbis ampliſſimis offerebat, ſi pretium pacis Creta dederetur; Romanam magnanimitatem adæquauit

 præ-

præbito ſæculis documento: Venetum Leonem ab antiquo aſſuetum cum potentioribus congredi, de magnis omnibus bellis redire coronatum ſeu lauro, ſiue olea glorioſa.

Hanc igitur morum grauitatem in Italis & maieſtatem, grauis pariter aut magnifica dicendi virtus conſequitur, h c ſereno cælo & placido ſimilis, illa ru benti, & minitanti. Vtrique conuenit argumentum grande, peramplum, i inſignibus figuris tractatum; grauitate n magis conficit ſermo virilis, & fo tis, qui aurem interdum inæqualita e percutiat, ſtylus non docenti, narr ntique, ſed arguenti ſimilis, aut ap robanti: maieſtatem conciliat ſub imitas orationis, animus, & dicta gr nde ſpirantia, proximique audaciæ poeticæ ſpiritus, oratoria verecundia t emperati.

Nemini eſt dubiũ, qu in eloquentiæ Princeps Tullius in om i dicendi genere dominetur; ita vt lifficile in eo ſit iudicium notæ maxi iè excellentis: Quid enim grauius, aut ſublimius

mius illis de natura, & prouidentia diuina, de conſcientiæ pœnis, de optimo reipublicæ ſtatu, de legibus, de fato ſententijs? Quid vehementius, aut efficacius inuectiuis in Catilinam, Clodium, cœteroſque? Quid orationibus poſt reditum ad Quirites, & in Senatu, aut varijs narrationibus, egreſſionibuſq; ſuauius? Quid purius, & ſubtilius Tuſculanis? Quid pulchritudinis, & decori, nitoris, & gratiæ, in vllo ex eius monumentis deſiderari poteſt? vt meritò vnus extitiſſe videatur, in quo natura, doctrina, exercitatio, ars, quæ diuiſa magnos oratores facerent, coniuncta efficerent quodammodo in dicendo Deum. In cœteris Italis Scriptoribus, quamuis Hermogenis formæ pariter commiſceantur, aliæ tamen in alijs eminent magis, vt grauitas in Salluſtio. Cuius vt omittam exordia ſatis vulgata, doctrina morum, & ſenſibus valida, quàm grauis illa deſcriptio educationis priſcæ Romanorum? *Iam primum iuuentus ſimul ac bel-*

li

li patiens erat, in caſtris per laborem vſu militiam diſcebat, magiſque in decoris armis, ac militaribus equis, quam in ludis & conuiuijs libidinem habebat. Igitur talibus viris non labor inſolitus, non locus vllus aſper, aut arduus, non armatus hoſtis formidoloſus erat, virtus omnia domuerat.
Mox eoſdem deprauatos vituperat. *Operæ pretium eſt cum domos, atque villas cognoueris in vrbium modum exædificatas, viſere templa Deorum, quæ noſtri maiores religioſiſſimi mortales fecere. Verùm illi delubra pietate, domos ſuas gloria decobant, neque victis quidquam præter iniuriæ licentiam eripiebant, at hi contra ignauiſſimi homines, omnia ea ſocijs adimere, quæ fortiſſimi viri victores hoſtibus reliquerunt, proinde quaſi iniuriam facere, id demum eſſet imperio vti.*

Quàm ſeuera apud eumdem illa Catonis apoſtrophe ad Senatores? *Sed, per Deos immortales, vos ego appello, qui ſemper domos, villas, ſigna,* ta-

tabulas, pluris quàm Rempublicam feciſtis; ſi iſta cuiuſcunque modi ſint, quæ amplexamini retinere vultis, expergiſcimini aliquando, & capeſſite Rempublicam. Non agitur de vectigalibus, aut de ſociorum iniurijs, non bonis ne an malis moribus viuamus, ſed libertas, & anima noſtra in dubio eſt. Hic mihi quiſquam manſuetudinem, & miſericordiam nominat? Quàm acris illa conceſſio ironica? *Sint ſanè, quoniam ita ſe mores habent, liberales ex ſociorum fortunis, ſint miſericordes in furibus ærarij, ne illi ſanguinem noſtrum largiantur.* & paulò poſt. *Miſeremini cenſeo, atque etiam armatos dimittatis. Næ iſta miſericordia, vobis in miſeriam vertet.*

At quanta Liuij maieſtas non modò in nobiliſſimis primæ, ac tertiæ decadum initijs, verùm etiam in toto paſſim hiſtoriæ corpore, vt libro 2 dum exponit diſcrimen regiam inter dominationem & popularem. *Erant in Romana iuuentute adoleſcentes aliquot,*

munem propone animo. utrinque ferrum, corpora humana erunt. Nuſquam minùs quàm in bello euentus reſpondet. maximæ cuique fortunæ minimè credendum eſt.

Aut Scipionis ad Antiochi Legatos. *In deteriore ſua fortuna pacem faciet Rex, quia ſeriùs facit. Si nunc remoratus fuerit, ſciat, Regum maieſtatem, difficiliùs de ſummo faſtigio ad medium detrahi, quàm à medijs ad ima præcipitari.*

Neque minor Cornelij Taciti ſublimitas in concionibus, aut in elogijs Auguſti, Germanici, Galbæ, & aliorum; Velleij quoque dum intra hiſtoriæ fidem ſe continet; vt de magno Pompeio: *In tantum in illo uiro à ſe diſcordante fortuna, ut cui modò ad uictoriam terra defuerat, deeſſet ad ſepulturam.* Flori pariter maieſtas approbatur, præter quàm dum calore poetico nimis friget. vt in libro 2 de Decio Bruto: *Peragratoque uictor Oceani littore, non priùs ſigna conuertit, quam cadentem in maria*

ſolem,

ſolem, obrutumque aquis ignem non ſine quodam ſacrilegij metu, & horrore deprehendit.

A Germania in Poloniam contendentes impetum illius gentis ac vehementiam in factis, dictiſque notauimus, ingenij vigorem parem, in Italis vel ducibus, vel ſcriptoribus licet deprehendere.

Ludouicus Bauarus Imperator Ioannis XXII. Pontificis hoſtis, ad Vaticanum cum exercitu ſedebat. Cumque ad Principis Apoſtolorum valuas infame edictum penderet, quo Pſeudopontifex (ſi Deo placet) legitimum Pontificem ſacris interdicebat, nam principatum armis eripuerat non edictis: tantam diuini, humanique iuris violationem non tulit Iacobus Columna nobiliſſimæ familiæ inclitum decus, ſed renouanda putauit exempla illius Romanæ fortitudinis, quæ vnius hominis virtute Reges, & exercitus obſtupefecit. Ergo, vbi ſecum tempus, ac modum exegit iuuenis generoſus, non dubi-

tauit per medias Germanorum acies ſecuro gradu vadere,tamquam ſi vnus animos exercituum gereret; tum inſpectante cum globo armatorum Imperatore, ſuperatis Vaticani gradibus, penetrauit ſe in templi fores, vbi dum ad prodigium inuſitatæ audaciæ ignarus Cæſar hæret, dum ſtupore præpeditę torpent militum iræ, manuſque, edictum reuulſit è valuis, diſcerpſit, pedibus conculcauit; eademque celeritate ſe proripiens, cùm iam Cæſareæ bilis vapor in violentiſſimas iras erumperet, iam innumerabiles tenderentur arcus, gladij ſtringerentur, Vaticanum campum, & Vrbem remenſus, Præneſte cum ſuis inuiolatum ſe recepit. Et ſanè potuit illic fortunæ gentili ſuæ victor immolare, plus tamen virtuti debuit, qua fortunam, & impetum gubernauit. Prouidit enim iuuenis non minùs exercitati cordis, quam dexteræ Germanos auſus nouitate hæſuros inutiles, & ſuam celeritatem illorum viribus illuſuram. Templi gradus,

fo-

ſorum, atque omnia circum armit horrentia, fiduciam aggreſſori dabans æſtimanti, ſe faciliùs, dum non timetur, occupaturum incautos, quàm ſi exercitum habuiſſet: aciem incogitantem, & imparatam, minùs quàm vnum ſtrenuum hominem valere. Dum igitur certus animi in pericula ſe induit, pericula ipſa diſcuſſit, & miraculi larua Germanos perterrefecit aduersùm veros metus inuictos. relicto poſteris documento, Italos vbi opus ſit, præcipitare ſed cautè, ruere cum conſilio, fûrere ſapienter. At Prænestina arce non ſe tenuit ingentis nominis fama, quin per medios hoſtes egreſſa, exteras nationes impleret. Quot in vno Columnæ pectore Mutios, & Horatios adorauerunt? non ſine formidine reputantes: quanta fiducia Imperium Orbis retentari poſſet ab Italis ſi vniuerſi conſentirent, cum ſinguli tam feliciter magnis exercitibus inſultarent.

Hoc vehementiæ impetu, quo Italorum pectora incitantur, illorum eſt

ſeruescit oratio. Non minùs vehementem, quam ſublimem iudico Liuium ſuas conciones quibuſdam figurarum veluti fulminibus illuſtrantem. Vt interrogationibus, non ad percontandum, ſed vel ad reuincendum argumentis aduerſarium, vel ad affectus animi ebullientes effundendos. Qualis illa Campani Patris filium ab occideudo Annibale deterrentis. *Sed ſi nihil ſancti, non fides, non pietas audiantur, unus aggreſſurus es Annibalem? Quid illa turba tot libertorum, ſeruorumque? quid in unum intenti omnium oculi? quid tot dexteræ? torpeſcent ne? in amentia illa uultum ipſius Annibalis, quem armati exercitus tremunt, quem horret Populus Romanus, tu ſuſtinebis? & ſi alia auxilia deſint, me ipſum ferire corpus meum opponentem pro corpore Annibalis? ſuſtinebis* Addit interrogationi pondus argumentum à maiori, vel minori, vt in concione Torquati contra Cannenſes milites. *Vt ſeruemini deeſt*

uobis

uobis animus, quid ſi moriendum pro patria eſſet, faceretis? Quinquaginta millia ciuium, ſociorumque circa uos eo ipſo die cæſa iacent, ſi tot exempla uirtutis non mouent, nihil unquam mouebit; ſi tanta clades uilem uobis uitam non fecit, nulla faciet. Vos redimam? Hæc vehementia obiurgantis, illa non minor ſe purgantis Cannenſis militis apud Marcellum. *Si non Deum ira, nec fato, cuius lege immobilis rerum humanarum ordo ſeritur perßmus ad Cannas, cuius tandem ea culpa fuit militum, an imperatorum? Cannenſem exercitum fugæ aut pauoris inſimulare quiſquam poteſt, ubi plus quinquaginta millia hominum ceciderunt? Vnde Conſul cum equitibus quinquaginta fugit? Vnde nemo ſupereſt, niſi quem hoſtis cadendo feſſus reliquit?* & paulo poſt: *Vis tu mari, uis terra, uis acie, uis urbibus experiri uirtutem, aſperrima quæque depoſcimus, ut quod ad Cannas faciundum fuit, quàm primùm fiat.*

At fortaſſe ingenuitatem, candoremque Belgarum Italis denegabit is author, qui ſua in Icone animorum eos fingit nimium callidos, nunquam in ſimplicem, & non ſuſpectam familiaritatem deſcendere, ſemper velut in ſpecula, quid cœteri agant, arbitrari. Quod ſi tanto opere contendit, Italos eſſe non hebetes, & rerum momenta iuſta æſtimatione metiri, verum præconium agnoſcimus, ſin autem triſtiori prudentia, vt ait, & ſuſpicionibus prægrauat, quaſi nihil ingenuè nos facere delectet aut dicere, ſeu factum dictumue ab alijs prout ſonat interpretari, hoc enim verò ingratæ calliditatis crimen auerſamur, & fugimus. Siquidem omni magnanimitate nos ſpoliat, quam ſimplicitas, & veritas vel antecedunt, vel ſequuntur. Adde quòd ſuperſtitioſa prudentia timori, & odio eſſe ſolet, candor ingenuus amatur. At Italos natura finxit amabiles, maioreque vitæ parte, cum ſuperuacanea videli-

cet

cet calliditas eſt, apertos, & candidos: ſi verò negotium ingruat, acres, & moli curarum pares. Vbi vacat, nil ſolutius in feſtiuitates, & ioca, vbi res poſcat, ſolliciti, ſeueri, conſtantes. Quin in luſibus, & conuiuijs, quod in Germanorum ſympoſijs non ſine illorum querela palam factum eſt, ita ſui ſunt Itali, vt vel ebrij negotium curare poſſint, periti ad calices vigilanti ſtertere naſo.

Cum ab Hiſpania per Galliam in Belgium reuerteretur Marchio Ambroſius Spinula Imperator ſuæ ætatis facilè ſummus, à Rege bellicoſiſſimo, & triumphali Henrico perhonorificè exceptus, Regiæque menſæ adhibitus eſt. Inter epulas Henricus Gallica comitate, quæ per ioca ſæpe ſerijs velificatur, Spinulam de tota ratione belli, quod ea æſtate adornabat, interrogat. Senſit Dux non incallidus, quantum è Republica peteretur. Sed quid ageret? aperiret expeditionis conſilia? timebat, ne infidus Hiſpano Regi diceretur, cuius arcana

enuntiaret, ſpemque victoriæ quodammodo, admonito ad præcauendum hoſte præcideret. taceret? iniurioſum hoc percontanti Galliæ Regi videbatur, quaſi ſilentio iniqua quæſijſſe exprobraret. cui tamen indulgentia tanta erga ſe effuſo, nec ciuile putabat nec humanum, quidquam denegare, ne dum contumeliam referre pro gratia. Fingeret alia omnia, poſtmodum ſecus facta, mutationem conſilij interpretaturus? ſeruilis animi putabat eſſe mendacium, nec magnanimi occulere veritatem præſertim Regibus, qui licet ipſi (vt ait quidam) admodum religioſè non colant veritatem, & fidem, ſeuerè tamen à minoribus exigunt. His momentis momento temporis penſatis, (nam fuit Spinulæ volucre ingenium, & iudicandi vis præſens) ſtatuit gloriam confeſſionis amplecti pro certo reputans, Batauos hoſtium duci tanto ante vulneris locum denuntianti, fidem non habituros. Diſertè igitur fatetur, in Senatu Hiſpanico

nico decretum vt Friſia eò annò inuaderetur. Friſiam futuram martis campum, ſperare ſe, vnicà æſtate, nobilem prouinciam iuris Regij facturum. Proximam Friſiæ arcem, belli ſedem deſtinauiſſe. Hæc ſuper menſa Regis Gallorum, publicè à ſummo Hiſpani exercitus moderatore iactata, fama non tacuit, detulitque ſtatim ad Batauos; vt ſcilicet cauerent finitimis circa Friſiam prouincijs, non Friſiæ, cui Spinula tam apertè minando, ſecuritatem indixiſſe videbatur. Interea Marchio venit in Belgium, arma, commeatum vti prædixerat, ad belli ſedem comportari iubet, eò pedeſtres legiones, equitum turmas conuenire, ipſe profectus cum Ducibus contendere in Friſiam maturat. Verùm iſta quo maiori ſtrepitu adminiſtrabantur ab Hiſpanis, eò ſcenæ magis data putabantur à Batauis, tam obſtinatè errori ſuo fauentibus, vt in finitimas arces cura, & præſidijs intenti, Friſiam penè incuſtoditam relinquerent: nec niſi poſtquam obſeſſa,

& expugnata demum eſt, attentandam à Spinula exiſtimarent. Ita Italicus Imperator magnis Regibus magnas virtutes approbauit, Hiſpano fidem, Gallico veritatem, hoſtibus verò candorem, & fortitudinem; quorum ſuperſtitioſam prudentiam tempeſtiua ſimplicitate deluſit. Par decus raritate gloriæ Fabio Maximo conſecutus, in diſpari facto. Namquemadmodum Fabius nouum pugnæ genus, vt Annibalem vinceret, commentus eſt, non pugnare: ita Spinula nouam excogitauit rationem hoſtis fallendi, non fallere. Si tyronem interrogas, quæ nam prima elementa militiæ? ſtatim ſubijciet, caue hoſtibus credas; mutauit Spinula diſciplinam, docuitque Batauos malo ſuo, hoſtibus, ſed Italis, eſſe credendum. Et meritò, cum non haberet quo creſceret ſolertia militaris ad ſummum perducta per fraudes, & furta belli, horum loco Spinula ſubſtituit ſimplicitatem, & verborum fidem. Frementibus Batauis, hoc

vnum

vnum Italicæ genus artis ſupereſſe, vt experientiſſimos Duces fallacijs impenetrabiles, veritate deciperent. Vſque adeo ne nihil certi prudentiæ relictum in rebus humanis? cum nec amicis fides habenda ſit ſemper, nec hoſtibus deneganda? Ita perſæpe ſincerè, ac ſine fraude agere, ars ſumma eſt, ingenia verò vaſra ſua calliditate capiuntur.

Italicum animi candorem, ſuus vbi res exigit candidæ facundiæ ſtylus imitatur, oratio clara, illuſtris, & ſimplicitatis generoſæ, munda ſed ſine delicijs, exculta, ſed negligenter, ita vt idipſum deceat; figuras certas non habet, quia vt perſpicua ſit, ornatum figurarum reſpuit; illas probat, quæ rem demonſtrant potiùs, quàm augent, vt hypotipoſim, dialogiſmum, & ſimiles. Talem cenſeo Cæſaris ſtylum, vti deſcriptionem illam acerrimæ pugnæ in l. 4. quam vt euidentiorem faciat adiuncta omnia ponderat, perſonarum virtutem, loci iniquitatem, modum certaminis,

ar-

armorum genus, tum omnia epiphonemate concludit.

At hoſtes etiam in extrema ſpe ſalutis tantam virtutem præſtiterunt, vt cum primi eorum cecidiſſent, proximi iacentibus inſiſterent, atque ex eorum corporibus pugnarent, his deiectis, coaceruatis cadaueribus, qui ſupereſſent, vt ex tumulo, tela in noſtros conijcerent, pilaque intercepta remitterent; vt non nequidquam tantæ virtutis homines iudicari deberent, auſos eſſe tranſire latiſſimum flumen, aſcendere altiſſimas ripas, ſubire iniquiſſimum locum, quæ facilia ex difficillimis, animi magnitudo redegerat. Talis Suetonij ſtylus A. Gellij, & Ciceronis vbi ſe ad notam tenuẽ demittit, vt in Tuſculanis laude illa pulcherrima cæcitatis, quam argutiæ, ſententiæ, verborum elegantia mirè concinnam faciunt. *Etiam ne* (inquit) *Si ſenſu carebit oculorum ſapiens, beatus erit? etiam, nam iſta ipſa contemnit. Primùm enim horribilis iſta cæcitas, quibus tan-*

tandem caret uoluptatibus? cum quidam etiam diſputent, cæteras uoluptates in ipſis habitare ſenſibus; quæ autem aſpectu percipiantur, ea non uerſari in oculorum ulla iucunditate: animus accipit quæ uidemus. Animo autem, multis modis, uariiſque delectari licet, etiam ſi non adhibeatur aſpectus. loquor de docto homine, & erudito, cui uiuere eſt cogitare. Sapientis enim cogitatio, non fermè oculos adhibet aduocatos. Etenim ſi nox non adimit uitam beatam, cur dies nocti ſimilis adimat? Appium quidem ueterem illum, qui cæcus annos multos fuit, & ex magiſtratibus, & ex rebus geſtis intelligimus in illo ſuo caſu, nec priuato, nec publico muneri defuiſſe. C. autem Druſi domum compleri conſultoribus ſolitam accepimus: cum quorum res eſſet, ſua ipſi non uidebant, cæcum adhibebant ducem. Pueris nobis Cn. Aufidius prætorius, & in Senatu ſententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat; & Græcam ſcribebat hiſtoriam; & uidebat

in

in literis. Traditum eſt etiam Homerum cæcum fuiſſe, at eius picturam, non poëſim videmus. quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ ſpecies formæ, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus eſt, vt, quæ ipſe non viderit, nos vt videremus effecerit? Quid ergo aut Homero ad delectationem animi, ac voluptatem, aut cuiquam docto defuiſſe vnquam arbitramur? aut, ni ita ſe res haberet, Anaxagoras, aut hic ipſe Democritus agros, & patrimonia ſua reliquiſſent: huic diſcendi, quærendiq; diuinæ delectationi toto ſe animo dedidiſſent? itaq; augurem Tyreſiam quem ſapientem fingunt poëtæ, nunquam inducunt deplorantem cæcitatem ſuam: at verò Polyphemum Homerus cùm immanem, ferumque finxiſſet, cum ariete etiam colloquentem facit, eiuſque laudare fortunas, quòd quà vellet, ingredi poſſet, & quæ vellet attingere, Rectè hic quidem: nihilo enim erat ipſe Cyclops, quã aries ille prudentior.

Iam

Iam verò vt non minorem Italis, quam Anglis ineſſe vim mentis doceam, & quidquid imitari libeat, exprimendi ſolertiam, ingeniumque formarum diſſimilium capax ex vna in alteram per imitationem immigrare paratiſſimum, omiſſis ſplendidioris generis exemplis, ex Italia noſtra vnum afferam è plebe hominem, quoniam in eius generi hominibus, minùs diſciplinæ aſſuefactis, genius magis & naturaſe prodit. Hic vt nuper accepimus, neſcio cuius criminis reus Mediolani coniectus in carcerem, ſuo ingenio ſe abſoluit. Nam cum fortè è contubernalibus vnus fato defunctus geminis è vinculis cuſtodiæ, & corporis euolaſſet, illius cadauer de more compoſitum in feretro, libitinarios expectabat, vt carcerem mutaret in tumulum. Intellexit ſocius non hebes, quantum mors ad libertatem profuiſſet extincto. Igitur vt libertate potiretur ipſe, ſtatuit ad modicum tempus mortui perſonam ad-

ſci-

ſciſcere. Nec mora: ſolitudinem nactus, mortuum ſacco diſpoliat, dein ſub lectulum coniectum, operimento multæ veſtis ſepelit. Ipſe funeream tunicam indutus, in ſandapilam ſe collocat, defunctum egregiè mentitus porrecto in longum corpore, complicatis ad pectus manibus, membris, ac vultu ob ieiunia carceris, in mortis pallorem albentibus. Intromiſſi portiores, qui parati ad funus veniſſent, perfunctoriè tantùm iacentem intuiti, attollunt feretrum, ſupponunt humeros, cum facibus, & cantu, viuentem nebulonem pro mortuo è carcere exportant. Cum interim ille audiens funebres nænias, & exequiale carmen, quod ſibi occinebatur, dirum omen auerſatus, toto itinere, capite nutante reſpueret, Vbi ad templum perueniſſe funus, & depoſito ferculo conſtitiſſe ſenſit, iamque humationem præparari, peracta feliciter fabula ratus, iam tutò perſonam mortui poſſe deponi, attollit ſe in ſeſſum, proximoſque

que

que intuens miraculo attonitos voce confirmat. Quid trepidatis amici, tamquam ſi extinctum reuocatum ad vitam videatis? Equidem nunquam perij, niſi fortè quamdiu ſepultus in ergaſtulo fui. Nunc mihi opus non eſt ſepultura è ſepulchro carceris rediuiuo. Vos tamen operæ pretium feciſtis liberatores mei, qui mihi pro tumulo liberum cælum reddidiſtis. Ite modò, & mihi mei relicta cura, aliud genus liberalitatis defuncto illi impendite; quem ſub lectulo inter pannos ſatis modeſtè agentem reperietis. His dictis exilijt è feretro, ac depoſita mortis larua in perſonam redijt, rediturus in domum ſuam. At ſodales flebile officium metu interruptum, elapſo in fugam cadauere, riſu finierunt.

Huic animi multiformi virtuti reſpondent in ſtylo geminæ dicendi dotes, quæ, vt eruditè docet in tractatu de arte hiſtorica Auguſtinus Maſcardus, à Scaligero confundun-

tur,

tur, fortaſſe quia ſæpiſſimè aſſociatæ cernuntur. energia quæ, ab ἔργον hoc eſt opere deriuatur, eo quod non ſinit eſſe, vt Quintilianus loquitur, ea quæ dicuntur otioſa: & enargia quæ petitur ab ἐναργής, & euidentiam, claritatemque ſignificat. Harum virtutum exempla in Cornelio Tacito frequentiſſima ſuppetunt. vt in libro I. hiſtor. vbi Galbæ Imperatoris exitum deſcribit.

Agebatur huc illuc Galba vario turbæ fluctuantis impulſu completis vndique baſilicis, ac templis lugubri proſpectu, neque populi, aut plebis vlla vox, ſed attoniti vultus & conuerſa ad omnia aures. non tumultus, non quies, quale magni motus, & magnæ iræ ſilentium eſt. Othoni tamen armari plebem nuntiabatur. Ire præcipites, & occupare pericula iubet. Igitur milites Romani, quaſi Vologeſen aut Pacorum auito Arſacidarum ſolio depulſuri, ac non Imperatorem ſuum inermem, & ſenem trucidare pergerent, diſiecta plebe, proculcato

Se.

Senatu, truces armis, rapidis equis, forum irrumpunt. Nec illos Capitolij aſpectus, & imminentium templorum religio, & priores et futuri principes terruere, quò minùs facerent ſcelus, cuius vltor eſt, quiſquis ſucceſſit.

In tertio dum ponit ob oculos Flauiani exercitus cum Vitelliano intra Vrbem certamen. *Concurrere et in Campo Martio infeſtæ acies. Pro Flauianis fortuna, et parta toties victoria; Vitelliani deſperatione ſolæ ruebant, et quamquàm pulſi rurſus in vrbe congregabantur. Aderat pugnantibus ſpectator populus, utque in ludicro certam ne, hos modò, rurſus illos, clamore, et plauſu fouebat; quoties pars altera inclinaſſet, abditos in tabernis, aut ſi quam in domum confugerant, erui, iugularique poſtulantes, parte maiori prædæ potiebantur. Nam milite ad ſanguinem, et cædes obuerſo, ſpolia in uulgus cedebant. Sæua ac deformis urbe tota facies. alibi prælia, & vulnera, alibi balneæ, popinæ-*

pinæque. Simul cruor, et ſtrues corporum, iuxta ſcorta, et ſcortis ſimiles, quantum in luxurioſo otio libidinum, quidquid in acerbiſſima captiuitate ſcelerum, prorſus vt eamdem ciuitatem et furere crederes, et laſciuire.

In exemplum deniq; ſuauitatis Italicæ multum ex indole Gallica trahentis, referri poteſt Adelais Italiæ Regina Rodulphi filia Burgundionum Regis, qui aliquot annis in Italia imperitauit. Hæc ſanguine, & virtutibus, quæ Reginam decent illuſtris, decore corporis, animi, & fortunæ dotes æquauit. Genitore Rodulpho Berengarij, & Germanorum armis ab Italiæ poſſeſſione pulſo, ipſa in poteſtatem conceſſit Vgonis Comitis Prouinciæ, qui ab Rodulpho ad opem ferendam inuocatus, inter duos diſceptantes alterum clade, alterum victoria feſſum, tertius integer regnum occupauit, pretium auxilij. Mox vt imperium malis artibus partum bonis firmaret, per legatos Rodulphum orat, vt Lothario filio, Adelaidem

laidem ipſius filiam nuptui collocet, quam apud ſe perhonorifico famulitio ſtipatam Reginæ cultu captiuam habebat. Aſſentitur largiter Rodulphus, quod perierat, ſi negaret; dicit inſuper dotem Italiam, quam amiſerat. Prædicanda hic eſſet Adelaidis humanitas erga ſocerum, ſponſumque paterni regni raptores, niſi reuerentia qua captiuam coluerant, & obſequium, quo Reginam venerabantur, has vices meruiſſe viderentur. Interim alter Berengarius haud ſatis lætus, quòd regno vnde auitis armis æmulus exciderat, alius quàm ipſe frueretur, in Italiam tota Vngariæ mole ferebatur. Sequeſtri pacis intercesſere, ne regionem, cuius imperium affectabant, armis delerent, ſed florentis partem certam, pro euerſæ poſſeſſione dubia in lucro ponerent. Coitur ſocietas regni rarò tuta, ſuſpecta ſemper, altero facilitate, altero fraude peccantibus. Sed Lotharius breui cum vita regnum amiſit, Adelais libertatem. Ite-

rum ex Regina captiua,eò duriore ſeruitutis iugo, quo iniquiore, & inclementiùs habita ſub tyranno; donec oborta cupiditate nuptiarum, procum agere cœpit per blanditias contumelijs grauiores. Nam oderat vt latronem, vt proditorem, vt homicidam, & poſt tot iniurias, oderat vt amantem. Cum ergo thalamum recuſaſſet, carcerem ſubijt; cuius horrorem orbitati ſuæ congruentem pluſquam fœminea audacia non effugiſſet cum ſocia conſiliorum nutrice ab altiſſima turri ſe demittens, niſi ſupra carceris ſqualorem, & tenebras, maritales tedas exhorruiſſet. Profectò nihil mediocre patitur Regum fortuna: aut ſeruiunt, aut regnant, vincula vel in fronte, vel collo gerunt, ſecures niſi ſtringant in alios, ipſi pauent. Reddita libertati Adelais, tantum ſupra Reginam ſe extulit, quantum fuerat infra captiuam abiecta. Cum Otho Cæſar ab Agapito Pontifice aduocatus in Italiam cum quinquaginta millibus bella-

latorum, Berengarij tirannidem ſuſtuliſſet, conciliatore nuptiarum Pontifice in victoriæ pretium, Adelaidem dixit Auguſtam, pro dote afferentem in regia forma, calamitoſam virtutem. Qualis tunc fortunæ ludus, in Italiæ ſcena? Cum mutatis ab ea partibus, iam hoc eſſet Berengarius, quod fuiſſet Adelais. Cum ille regno eiectus, vitæ ambiguus clementiam, quam negauerat, exoraret: Hæc Italiæ, ac Germaniæ ſceptris inclyta gauderet ſuæ trophœū benignitatis facere, qui eam fecerat tyrannicæ ſæuitiæ documentum. Cum fœmina vindictæ amorem, cuius viri potentes non ſumus, abdicaret.

Suauitas Italici moris in ſcripta redundat per verba lenia, venuſta, florida, quorum compoſitio concurſus neque aſperos, neque hiantes habeat; ſed dulcedinem, & quaſi modulationem quamdam numerorum, cū earum explicatione rerum, quæ aut mentem oblectent, aut ſenſum

 ſen-

Senſum demulcẽt ſpectacula, pompæ, conuiuia, verni temporis gratia, iuuentutis decor, concentus muſici, ſaltationes, & ſimilia, quarum iucunditatum eæ, quæ auribus, oculiſq; percipiuntur nobiliſſimæ ſunt. Ad mentem referuntur noua, recondita, admiranda, exitus inexpectati, conuerſiones magnæ cum rerum varietate perpetua. Quibus hiſtoria Q. Curtij cum abundet, ſuauitatę tanta perfudiſſe dicitur Aragonię Regis animum, vt à corpore inamabilis morbi moleſtiam exegerit. Quid enim? ſpectacula, pompaſque deſideras? habes in 3. luſtrationem innumerabilis Perſarum exercitus. *Patrio more Perſarum traditum eſt, orto ſole procedere die iam illuſtri ſignum è tabernaculo Regis buccina dabatur, ſuper tabernaculum vnde ab omnibus conſpici poſſet, imago Solis criſtallo incluſa fulgebat. Ordo autem agminis erat talis. Ignis quem ipſi ſacrum, et æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur: Magi proximi patrium*

car-

carmen canebant. Magos trecenti, et ſexaginta quinque iuuenes ſequebantur puniceis amiculis velati, etc.

In 9. triumphalem habes Macedonum ex India reditum bacchantium in morem. *Igitur æmulatus patris Liberi non gloriam ſolùm quam ex illis gentibus deportauerat, ſed etiam famam, ſiue illud triumphus fuit ab eo primùm, inſtitutus, ſiue bacchantium luſus, ſtatuit imitari, animo ſuper humanum faſtigium elato. Vicos, per quos iter erat, floribus, coroniſque ſterni iubet. Liminibus ædium crateras uino repletos, et alia eximiæ magnitudinis vaſa diſponi. Vehicula deinde conſtrata, vt plures capere milites poſſent, in tabernaculorum modum ornari, alia candidis velis, alia veſte pretioſa. Primi ibant amici, et cohors regia varijs redimita floribus, coroniſque. Alibi tubicinum cantus, alibi lyræ ſonus audiebatur. Item in vehiculis pro copia cuiuſque adornatis commeſſabundus exercitus, armis quæ maxi-*

mè decora erant circumpendentibus, ipſum, conuiuaſque currus vehebat crateris aureis, eiuſdemque materiæ ingentibus poculis prægrauis. Hoc modo per dies ſeptem bacchabundum agmen inceſſit. Parata præda, ſi quid victis ſaltem aduersùs commeſſantes animi fuiſſet, mille herculè viri modò & ſobrij, ſeptem dierum crapula graues in ſuo triumpho capere potuerunt. Sed fortuna, quæ rebus famam, pretiumque conſtituit, hoc quoque militiæ probrum vertit in gloriam, & præſens ætas, & poſteritas deinde mirata eſt, per gentes nondum ſatis domitas inceſſiſſe temulentos, Barbaris quod temeritas erat, fiduciam eſſe credentibus.

Si amœnitas arridet regionum deſcribuntur in v. Perſica tempe: ſi noua placent & admiranda, ſi exitus inopinati, & magnæ rerum conuerſiones, oculis in 9. penè ſubijcitur fluctuatio Macedonicæ claſſis in ignoto flumine maritimis æſtibus conflictatæ; in eodem libro Dioxippi inermis

mis pugilis de armato gladiatore victoria, & Alexandri intra oppidum Oxydracarum memorabilis pugna, Philotæ in 6., Clyti in 8. tragicæ calamitates, aliaque paſſim id genus, quibus hiſtoricus prudens varios lætitiæ, doloris, irarum, & miſerationis affectus cogit ſuauitati iucundiſſimi operis deſeruire.

Sed non ſolùm orationis Italicæ ſplendor ab intima tot virtutum, quot ſuperiùs enumerauimus pulchritudine efflorescit, verùm etiam ab externo fulgore rerum inter quas naſcitur, & educatur. Quemadmodum Conſtantinopolitani Cæſaris liberos præter oſtrum regale ſanguinis à maioribus transfuſum in venas, imperatoria quoque decora purpuræ trabeæ trophæa commendabant, inter quæ ſtatim, vt lucem aſpexerant, excipiebantur, & porphyrogeniti appellatione in ſpem imperij pulcherrimi adoleſcebant. Vbi verò tam crebra viſuntur antiquæ, vel recentis magnitudinis documenta illuſtrandæ orationi

oppor-

op portuna, quã iu Italia? tot arcus, coloſſi, theatra, ſumptuoſiſſimæ Diuorũ domus, & Principum, moles aſtris olim co nterminæ, quarum iacentium ruinæ ſpirant adhuc veterem ſplendore m, & maieſtatem. Vbi tot hodiernæ magnificentiæ prodigia? Romæ Vaticanum templum, tholus, ac porticus miracula orbis terrarum. Venetijs ad D. Marci baſilicam, ſpecioſiſſimum forum, cuius pulchritudinem ne pennicilli quidem aſſequi poſſit audacia: armamentarium magnis claſſibus ornandis ſufficiens, cui par extruendo, imparem ſcias potentiam Regum, & Cæſarum. Quamquam nulla eſt Italiæ ciuitas clarior, quæ non aliquo inſigni naturæ, vel artis ornamento reſplendeat. Hinc Pauſilipi amœnitates nunquam ſatis, verè ſemper laudatas, ac tepentes fontibus Baias, voluptatis, an ſalutis hoſpitia Neapolis pandit: illinc Mediolanum fertiles campos, regna Cereris, è candidiſſimo marmore templum, arcemq; inexpugnabilem cum

pro-

propugnaculis. Suas turres vel obliquè pendentes, vel ad nubes erectas Cremona iactat, Piſæ, Bononia. Sua mœnia Babylonicis æmula Genuenſis Reſpublica, ſua minora mole, non arte, vel decore, Luca, Patauium. Meſſana portum Graia venuſtate comptum vſque ad delicias: Ancona marmoreum, Traiani opus, Romana grauitate ſpectabilem. Senenſes forum, cum templo principe, Florentia pontem, vias ſtratas è marmore, at D. Laurentij ſacellum pro marmore gemmis pretioſum, & magnorum Ducum ſepulchra inſtar theſauri: Lauretum denique Deiparæ domum, omnes mundi fabricas, vel hodiernæ opulentiæ, vel antiquæ paupertatis maieſtate vincentē. Quid commemorem ſpectacula nullis ingentibus audita numero tam frequentia, pretio tam rara? Seu cum Romani ſcenas marmoreas, & chriſtallinas excitauere, ſoliditate illas, has ipſa fragilitate pretioſas, ſeu cum arenam caueæ aureis illuſtrauere ramentis, ſeu

cum

cum populo tot centenis hominum millibus epulum dabant, inuectis pro annona Aegypti, Mauritaniæ, Siciliæ meſſibus, ad extruendas dapes depopulatis elementis, feris terras, mare piſcibus, auibus aerem ſpoliantes. Quid commemorem, pro miſſilibus, diſperſas in teſſeris inſulas, prædia, villas, agros in populum? vt velut in ſcena quodam fortunæ ludo modò egentes, repentè diuites citra fabulam fierent. An referam Circenſes claſſes in Euripis vino plenis nauigantes! ne timerentur placidiſſimi pelagi tempeſtates, & optanda naufragia inter delicias perituris? An referam veteres priuatorum cœnas ſorbilibus margaritis, hoc eſt effuſis patrimonijs ſumptuoſas? aut alias ridenda magnificentia famoſas, in quibus nobile edulium innumeras luſciniarum linguas cum abſumpſiſſet, tãtam muſicarum auium cladem deſerta rura, muta nemora indoluerunt. An excurrere hic potiùs libet Aud. & exorata venia, breui digreſſione de-

ſcri-

ſcribere Romanorum Cæſarum Domitiani præſertim,& Heliogabali ſplẽdidiſſima conuiuia,vel amœna lethaliter, vel innocenter metuenda, rerum conuerſione mirabili,à lætis intriſtia, à luctibus in voluptatem, conuiuis modò fictæ tragædiæ ſpectatoribus, modò veræ actoribus, per quæ ludibria coronatæ illæ furiæ Romanis proceribus illuſerunt.

Senatorij ordinis ipſa lumina Domitianus ad cœnam inuitauerat. Vt conuiuium Cæſaris agnoſceres, imperium illi fecerat vectigale, vt cœnam Tyranni eſſe ſcires, ferali apparatu conuiualis conſeſsus gaudia temerauerat. In tanta ciborum lautitia beatos conuiuas diceres, ſi palato tantùm viuentes, reliquorum ſenſuum iudicio caruiſſent. Nam quæ tanta epularum dulcedo condire poterat amaritiem, quam vndique animis ingerebant parietes nigranti amictu ſquallentes,thori lugubri veſte conſtrati, cerei, & lumina emortuali cera nutrita, quæ lucem funderent

rent ex artificio mœſtiorem: atrati miniſtri libitinarijs, & pollinctoribus mixti; cum retroſpicientes ſuum in feretrum ſinguli oculis inciderent funebri ſtragulo coopertum cum inſcriptione ſepulchrali, qua cuiuſq; nomen, familia, honores, ſolatia mortalitatis cõtinebantur. Quid hic facerent Romulidæ miſeri? Quo ſeuerterent, cũ funeſta omnia intuerentur, mortis metum ſpirantia, morte peiorem? Quæ illæ fuere deliciæ tam ingrato cogitationum felle reſperſæ? Cum ſingulos cibos ſuſpicione infectos, vt Claudij boletum timidè deglutirent, cum Falerni pocula, quaſi Britannici frigidam libitinæ propinarent, cum iam rigidos calces extenderent vt moribundi, omniaque membra peruadente frigore, quod timoris erat, eſſe mortis gelu putarent. Funus quippe certum apparebat, genus mortis, incertum: an laqueus? an gladius? an venenum? quidlibet præter famem. Cum interim Tyranno iucundum eſſet ſpectaculum, quod om-

nibus

nibus luctuoſum;cum cœteris tragœdi partes referentibus,vnus ille comœdiam ridens in ſinu de tam ſplendida cœna tam magnifico funere ſibi plauderet. At quàm inopinatum hæc fabula exitum habuit? Senatoribus timoris ſupplicio diù tortis, ad extremum inſperata ſalus,& miſſio data eſt.

Heliogabalus autem non minùs in blanda ſæuitie, quam Domitianus in horrida ſplendidus, at crudelis magis, aliquot pariter Senatores ad cœnam aduocauit. Quos lautiſſimis epulis cum impleuiſſet, ſub conuiuij finem ex aureo imminente cœlo roſæ fluere cœperunt. Illi vt erant ad omne genus voluptatis improbè animati, blandiri florulentæ pluuiæ, offerre irrigandos ſinus, & ora, admouere oculis, naribus oſculis quoque, vt eſt

Neſcia mens hominum fati ſortiſq; futuræ,

mortis inſtrumenta fatalia. Cum ecce tibi rupto floridarum nubium

gre-

gremio, non amplius imbres, ſed torrentes roſarum præcipitare de cœlo, obduci totum aërem caligine purpurea, lucemque, diemque eripi conuiuarum ex oculis. Illi attoniti amœniſſimo malo, effugia circumſpectare, amabiles nimbos, & gratas paulo ante procellas faſtidire, execrari magnificam odorum pompam proximo tunc funeri prældentem. Sed cum vanos experirentur in roſeo mari natatus, obruti pondere, exhauſti viribus, intercluſo ſpiritu exanimantur in roſis. Ita ne verò pro aconitis, & cicutis roſarum innocentia inter lauta menſarum timeretur? Erant mites, erant innoxiæ donec ſuis verſabantur in pratis, ex quo aulas frequentare cœperunt, euaſerunt homicidæ. Iam gladijs, vncis, & ſecuribus, alijſque carnificinæ miniſterijs annumerabuntur & roſæ. Ecquæ noua ſæuities occidere per inſtrumenta voluptatum? Sic experti ſunt miſeri ſplendidam Cæſaris crudelitatem in cœna, conditi odoribus antequam

quam extinćti,immo florida perempti ſepultura.

Apage à recenti Italia tam odioſæ magnificentiæ gloriā. Equidem illi anteferre non dubitem Auguſtini Chiſij Senenſis Patritij ſplendidam, ſed innocentem in conuiuijs magnificentiam, qua vir magno genere, diuitijs maximis clarus, ſed animi magnitudine multò clarior, vt æquales illorum temporum Iouius, Aretinus, Scaliger, alijque teſtantur, Romanis Pontificibus munificum ſe præbuit, & priuatus Reges ſuperauit. Neque enim iſte, vt abominati ſuperiùs Cæſares barbarè ingenioſi, funerum, hortorumue pompis, ad ludicræ mortis obiećtu terrendos, aut ſeriò per delicias necandos conuiuas abuſus eſt, ſed quemadmodum Tullius requirit in iocis, vt aliquod ingenij probi lumen eluceat, ſic Auguſtinus ingenioſa elegantia, & ſcita ſemper aliqua nouitate conuiuia condiebat, vt non tam iudicio, ſenſuum ſaperent, quàm palato,

S quod

quod longè eſt delicatius, animorum. Leo X. Medices, quem ob litterarum, & litteratorum patrocinium delicias generis humani ſalutabant, cum Auguſtinum ingenij, morumque ſimilitudine ſibi coniunctiſſimum eximiè diligeret, in domeſticum eius conuictum ſe vltro deſcenſurum promiſerat, ſi priuatum intra modum, vt amicus exciperetur in Principe. Auguſtinus, qui Pontificis ita beneuolentia gauderet, vt maieſtatem non obliuiſceretur, ratione excogitata, qua & illius voto pariter, & obſequio ſuo morem gereret, Leonem Pontificem cum Senatu purpuratorum in aulam, vt videbatur, induxit ſolo plano peramplam, cuius parietes periſtromata velauerant Babylonica auro intertexta, pauimentum verò aulæa ſerica, exquiſiti operis à Belgis aduecta. In hanc ornatiſſimam ſedem, verno tempore, inter tibicinum, lyriſtarum, vocumque ſuauiſſimarum concentus, tanta epularum

præ-

præſertim piſcium lautitia inuecta eſt, vt peracto conuiuio Pontifex expoſtulauerit, non acerbè, & cum ſtomacho, vt olim Auguſtus à quopiam ad cœnam tenuem inuitatus, neſciebam (inquit) me tibi eſſe tam familiarem: ſed oppoſita planè querela, cum diceret: Putabam (Auguſtine) me tibi eſſe magis familiarem: Cui venerabundus ille, ac ſubridens; Vide Beatiſſime Pater, vt hoc tuum mihi præiudicium proſit. Ne fortè mutata opinione cum ſcena, vbi loci humilitas apparebit, meam ex parendi ſtudio confidentiam damnes. His dictis, cum extremam periſtromatis oram ſummis digitis ſuſtuliſſet, latentia ſub auro, & ſerico præſepia detexit; caulamque pro aula, intactam illam quidem, vt recens conſtructam, & nondum vſui mancipatam equini pecoris regiam oſtendit. Non ſine admiratione conuiuarum, & riſu. Cum eodem loci ſe magnificè accubuiſſe cernerent, vbi accubitus erant

ſtabulaturis iumentis deſtinati. Ita vt ſatis egregiè factum maieſtati Principis, & voluntati à Chiſio faterentur. Neque Leonem Pontificem ſplendidiùs vnquam, neque familiariùs fuiſſe cœnatum. Immo neque religioſiùs, & maiori dignitatis gloria. Hoſpitium quippe ſortitum in eiuſmodi regia, qualem Pontificum Princeps prætulerat cœlo. Diuitiarum potentiam diuinæ æmulam nobilitatem dare ignobilibus locis, & rerum nomina, naturaſque mutare. An vanitatem quoque ſuperbiæ mortalium, ea in imagine Chiſium adumbraſſe? fucatam omnem humanam magnitudinem, pulchritudinemque, nec aliter, quàm ſtabula auro tecta, fronte tenus, & ſola ſuperficie ſpecioſam. Quid ſubeſſe micantibus ocellis? rubentibus genis? niſi ſuccum cibi macerati, ſaniem purulentam, æquandas ſtabulo ſordes. Quot Regum capita diademate, gemmiſque lucere, quorum pectora ſi recludantur, apparitura

tura libidinum fimo deformia, præſepijs, quàm ſolijs digniora. Alterum conuiuium per æſtiuos calores adornauit propè Tiberis ripam in porticu, quæ nunc ætatis, & fluminis eluuionibus diruta, olim adiuncta viſebatur hortis, quos Raphaëlis picturis illuſtres, quamuis in ditionem Sereniſſimæ Farneſiorũ gentis tranſlatos, adhuc ab authore Chiſio fama cognominat, conſtantior virtutis comitatrix quàm fortuna. Vbi ea fuiſſe perhibetur epularum magnificentia, & ſplendor, vt heröe Chriſtiano digna liberalitate pauperum populum reliquiarum amplitudine ſaturauerit, tantus argenteæ ſupellectilis numerus, vt poſt ſingulos miſſus inſpectantibus conuiuis pretioſæ patinæ deijcerentur in Tiberim, qui etiam ipſe famulari miniſterio, occultis exceptam retibus diuitem prædam, totoque abſterſam flumine nitidiorem Domino reſeruabat, poëtam Venuſinum exemplo conuincens, minùs auaras

eſſe vndas, quàm hominnm manus; inter quas vndecim ingentis ponderis argentea vaſa furto ſublata cum euolaſſent, paruitatem iacturæ demiratus Auguſtinus nouo prouerbio magnificentiæ Chiſianæ locum fecit. Tertio denique conuiuio ſub æſtatis exitum in aula ſuperiore domus celebrato Auguſtini coniugium præceſſit Summo Pontifice nuptiarum ſacra procurante venerandum: conſecutum eſt teſtamentum, eiuſdem Pontificis, & duodecim Purpuratorum ſubſcriptionibus glorioſum. Illic verò non ipſi modò Leoni, ſed Orbis terræ quoque Senatoribus, Regumque Legatis grata popularitate blanditus eſt. Cum enim Virgilianum illud meminiſſet:

Nec terræ ferre omnes omnia poſſunt.

Sed quemadmodum pomis, arboribuſque, ita diuiſas eſſe ſuas edulijs, & dapibus patrias, quidquid in re cibaria delicatum, cœnaque pontificali dignum conuiuarum patriæ con-

condire conſueuerant; id omne impetratis antea à Pontifice,diſpoſitiſque ad temporum, & locorum interualla curſoribus, longinquis ab oris delatum recens hora prandij ante ſingulos iuſſit apponi, argenteis in patinis celata vnicuique ſuæ familiæ inſignia referentibus; ita vt in patria ſua quiſque, domi ſuæ, domeſtica in ſupellectile, vſitatos bolos eſitare videretur. Immo & domi ſuæ pariter,& alienæ: cum ſua ſimul, & aliorum fercula delibaret. Quare Chiſianus epularum magnificentiſſimus apparatus Romano Pontifici extructus patinis tot nationum, non vnius familiæ, aut vrbis, ſed vniuerſi Orbis terræ conuiuium appellari merebatur.

Vt ad propoſitum vnde deflexeram redeam, illud eſſe videtur ad vltimum Italiæ, ac Romæ fatum, vt ſi quid ſplendidi exteræ gentes moliantur, hanc præcipuè vrbem deligant in theatrum magnificentiæ ſuæ. Teſtimonio ſunt quæ

noſtris oculis vidimus, quando Polonus orator Georgius OſſolinsKi Vladiſlai inuictiſſimi Regis nomine obedientiam Vrbano VIII. Pontifici detulit; in cuius comitatu tanta opulentia gemmarum, aurique fulgebat, vt non ſolùm Sarmatæ nobiles cultu pretioſo circumfluerent, verùm etiam ipſi equi aureis frænati torquibus, velatique attalicis trabeis quæ grandioribus adamantibus vnionibuſque erant refertæ, ſuperbirent, vngula argenteis vel aureis laminis reſonante. Eò iam ſeculi luxu progreſſo, vt adorata hominibus metalla, iumentorum pedibus conculcanda ſubſternat. Non improbandus fortaſſe, ſi faſtidientium diuitias, non oſtentantium is animus eſſet, & in eo ſpectaculo ſapientia potius, quam faſtus triumpharet. immo & laudabilis, cum per eam pompam ſapientia Principum veræ religioni faſtum, ſuperbiamq; ſubmitteret. Vidimus Echembergij Principis à Ferdinando II. Ceſare ad eundem Pon-
tifi-

tificem Legati poſt hominum memoriam magnificentiſſimum apparatum. qui vt reliqua ſilentio inuoluam ad miraculum ſumptuoſa in ornatiſſima domo, in ſupellectile, in comitatu, in pediſſequis, & ephebis, ingentem currum è ſolido argento ædificauit auro gemmiſque illuminatum: qualem certè nec Romani triumphi viderunt, neque pulchriorem fabulæ apud Sulmonenſem poetam ſereniſſimo aurigæ lucis excitarunt.

Sed nihil æquè ſplendorem, vt reliquis rebus mortalium, ſic etiam orationi affundere ſolet, ac opum maieſtas & imperij. Regnãte Græcia artes decoræ, & eloquentiæ palmæ viguere. Tunc athletæ præſtantes, curſores indefeſſi, inuicti bellatores, neruorum, & vocum cantus, qui occaſionem fabulis darent, ſculpturæ, picturæque, à ſummis artificibus penè animata opera ipſam naturæ veritatem æquantia, iudicio volucrum, & ferarum, tum honor æter-

nus

nus panegirycorum, hiſtoriarum, & carminum,quæ Græciam omni æuo inclitam reddidere. Quid facundia Romana, non ne imperij curſum conſequi, immo ſuperare viſa eſt, quando armatos terrarum orbis domitores per Tullium, alioſque inermis ipſa perdomuit.

Quod ſi hæc fuiſſe quis autumet, tranſiſſe imperij Deos, & volaticam illam cæcam, reſumptis alis, globoque fatali è Capitolio demigraſſe: Perijſſe Italicæ potentiæ,& eloquentiæ ſplendorem imperio collabente: cum barbari congeſtos in hac vrbe omnium gẽtium theſauros diripuerint, Romam alibi potiùs quam Romæ conſpici,videlicetin exuuijs ſuis, non ſine ingenti excidij pompa, cum orbem terrarum diſſipato etiam cadauere occuparit. At miſerandis nunc reliquijs, & deformi molium clade nos admonere: Ne imperatricem gentium fuiſſe hanc patriam nimis gloriemur dignitate ſine viribus tumentes. His planè voci-

vocibus ego reſpondere non dubi-tem., Romæ, & Italiæ noſtræ gloriam non concidiſſe. Vt, vt Romanas opes compilauerint barbari, licet immenſum Imperij corpus in fruſta diſtraxerint, ipſam vrbem marmoreis in populis, ære, argento, auroque aliò tranſportarint, num Romanum ſolum, num Romanum cœlum auferre potuerunt? Certè hos montes, è quibus Roma ſubiectum terrarum orbem deſpectabat, hanc vallem olim Reginæ gẽtium ſolium, nunc ſepulchrum, hunc aërem, quem tot heroum animæ reciprocarunt, nobis reliquerunt. Hic oratores, & poëtas flexanimos peperit, parietque; hic inuictos bellatores. Huius cœli genius, ſoliqueſemper humanitatem indigenis elegantiam ſplendorem inſinuabit. Quamobrem etiamſi Scythia, & Hircania conuulſæ à ſedibus ſuis in nos transfunderentur, futurum audeo dicere, vt clementia noſtrorum ſiderum victæ manſueſcerent, & Italicos

mo-

mores,hoc eſt ſplendidos, cultos,generoſos induerent. Teſtes Gothi, qui ſuper omnes gentes immanes, vbi occupata Italia, in hac Principe vrbe imperij domicilium collocarunt, Romano cœlo ceſſere, & vſurpatum violentia regnum æquitate, ac legibus temperarunt. Teſtis Annibal, quem inhoſpitalem, & ferum, quia hoſtis erat, vſque ad fœmineam mollitiem fregimus in Campania. Teſtes ipſi leones, ac tygres, qui vbi venere in has terras iraſci minùs, & placabiliùs ſæuire didicerunt. Hæc terra,hæc illa eſt fæcunda frugum, & virtutum parens, numine Deum electa,vt ait ille,quæ cœlum ipſum clarius faceret, inter ortus,occaſuſque media, nobilis ſalubritate cœli, atque temperie, benigno ventorum afflatu, littoribus portuoſis, acceſſu [illegible]nctarum gentium facili, & tamqu[illegible] ad iuuandos mortales auidè in maria procurrens. Quidquid eſt, quo vita carere non debeat, nuſquam eſt præſtantius.

tam

tam fertiles meſſes, tam munificæ ſiluæ, tanta ferarum innocentia, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla, tot amnes, tot lacuum fontiumque vbertas totam perfundens, vt meritò Italia gaudentis opus naturæ inſigni præconio ſalutetur. Quare ſi omnibus artium, & fortunæ muneribus orbaremur, ſi non poſſeſſionem ſolùm veteris gloriæ, ſed memoriam quoque perdidiſſemus, licet nulla ſupereſſent veſtigia antiqui decoris, nulla recentis monumenta; ipſa tamen amœnitas amabilis regionum in collibus amicta vitibus, in campis frugum viriditate veſtita, in pratis floribus colorata, confuſa pulchritudine, & ſuauitate ſermonem afflaret, ipſe aëris Italici ſpiritus dulcior, permeans in pectora voceſque temperans, canorum illud efficeret in oratoribus, & poëtis; ſol denique iſte Romanus orationem illuſtraret, & aſtra cœli Italiæ cuncta propitia benignis aſpectibus ad victoriam animorum

for.

fortunarent. Verùm cum iſta præſidia Italicæ facundiæ à natura ingenita eſſe fateamur, non idcirco repudiamus illa, quæ hominum induſtria, ſeu fortuna ſuppeditauit. Quin antiquitati cedentes in paucis, in multis pares, in nonnullis ſuperamus. Quid enim? de veteri Roma, atque Italia cecinere, imperium terris, famam ſideribus terminaſſe? Hodie pariter Pontificis Imperium Romæ in Italia fundatum, terris, & ſideribus circumſcribitur. Ex orbe exeundum eſt ei, D. inquit Bernardus, qui volet explorare, quæ non ad Pontificiam pertinent curam. Quod ſi veterum ædificiorum ruinæ paſſim cernuntur, viſuntur quoque ſtantia recentis decoris eò magnificentiora, quò ſanctiora monumenta. Euoluite orationem Conſtantinopolitani antiſtitis, cui diues oris facundia cognomentum inaurauit, ſplendidiorem vocat Romam Petri, & Pauli ſepulchris, quam triumphis ſuis. Et ſanè quantus hic ſplendor

hodiernæ vrbis innumeris Diuorum exuuijs nobilitatæ, præ veteris gloria paucos Cæſares mendaci apotheoſi tranſcribentis in Deos? Quantum hoc decus, quod diuiſis quodammodo partibus, ſanctiſſimorum heroum animos cœlum poſſidet, Roma corpora? vt poſt occaſum rerum, quando mortales renaſcentur ad vitam, magna pars cœlitum iſthinc ad immortalitatem migratura, patriæ propemodũ iure ſit appellanda Romana? Quanta hæc dignitas? quòd vix pedem è limine efferimus, cum in aliquod veſtigium incidimus gloriæ, vel à priſcis bellatoribus relictum in ſtatuis, arcubus, ac trophœis; vel noſtræ religionis à Ducibus, qui theatra, fora, vias cruore ſuo, & cædibus conſecrarunt. Quamobrem dum hæc memoria repetentes incedimus, penè veremur, ne, vt olim ſanctiſſimus Pontifex piæ Reginæ miraculo comprobauit, latinum ſolum ſub ipſis veſtigijs ſanguine purpuraſcat. Quid? quod,
hæc

hæc ipſa loca tot heroum laboribus conſignata, non memoriam ſolùm nobis afferunt, ſed ipſos videntur propemodum in conſpectu ponere? Illa Chriſtianæ Reipublicæ lumina ne, an numina? Ignatios, Laurentios, cum denſis fortiſſimorum martyrum agminibus, quæ intra, & propè huiuſce vrbis mœnia trucidata, ad millia trecenta memorantur. Equidem vario locorum admonitu, non ſolùm acriùs intentiùſque de illorum ſupplicijs cogitamus, verùm etiam voces, & gemitus exaudire morientium videmur, nec non truncatos cernere artus, palpitantia membra, ſanguinemque ſtagnantem, aut decurrentem. Qua cogitationum mœſtitia labefactata pectora in lacrymas colliqueſcerent, niſi memoria cœleſtis palmæ, & magnarum animarum exuuijs excitata in terris Mauſolæa, tantis immortalitatis pignoribus erigerent, atque hilararent.

Cum igitur inter arcus, theatra Im-

Imperàtorum & Pontificum moles, delubra Cœlitum, & Diuorum auguſtiſſimos cineres, facundia Italica adoleſcat; cum Italorum Principum ſplendor incurrat in oculos, & quotidiana pompa Pontificiæ aulæ, quam nitore, & magnificentia ſuperat nulla terrarum, ecquid mirum ſi tot decorum, triumphorum, & aularum, ſanctitatis denique fulgor in orationem irrepens, præter ingenium cœli, ſolique ſplendidam faciat radijs vndique circumfuſis? Regina apud Aethiopas colorem noctis gerens in vultu, enixa fuiſſe dicitur ſobolem diei candore geminam, propterea quod inter iconas candidiſſimas verſaretur. Et oratio pariter, ſi concipiatur animo inter clara, ſplendidaque verſante, caliginoſa naſci non poteſt. Creſcit enim, vt ait in dialogo de claris oratoribus Tacitus, cum amplitudine rerum, vis ingenij. Cum Romana potentia culmen attigiſſet, eloquentia Tullij adoleuit inter fulgores trabearum, &

T fa-

faſcium. Educauit Poëtice Virgilium in ſinu Auguſti, Cæſarem poëtarum. Neque degenerant recentia ſæcula, vrget etiam nunc, ſeu Principes Italos, ſiue oratores, & poëtas, idem genius, hos vt ſplendida dicant, illos vt faciant. Splendorem itaque ex Hermogenianis formis, propriam Italico characteri notam ſeponimus, ſplendoris nomine intelligentes radium quemdam pulchritudinis, non ſine gratiæ nitore, ac venuſtate. Haud ſum neſcius diſcriminis pulchritudinem intercedentis, & gratiam. Nam illa in apta membrorum compoſitione conſiſtit, cum coloris ſuauitate. Quare in ſtatuam, & pictam imaginem cadit, vtramque artis beneficio viuentem. At gratia quamdam actionis illecebram, motumque deſiderat, qui animum intùs latere ſignificet, vimq; diuinã, ſiue per oculos feneſtras animi, ſiue per linguam vicariam cordis, ſiue per geſtus corporis eloquentiam foras erumpat. Ad hæc, ratio exigitur, ſeu
pro

pro ratione inſtinctus quidam naturæ, atque impetus, qui omnia ita moderetur, vt deceant. Nam & in ſordidiſſimo brutorum inconcinnè gradiente animam eſſe conijcimus, quæ illi ſcilicet pro ſale data fuit ne putreſceret; nemo tamen, niſi ſit ſtoliditate pari, venuſtatem probauit, aut gratiam. Hinc Nero Cæſareæ domus vltimum probrum ore fuiſſe magis pulchro, quàm venuſto à Suetonio perhibetur, quoniam licet moles corporis bene compacta non indecora membrorum deſcriptione teneretur, oris colore iucundo; anima tamen nigra, fœda, degeneri informabatur. Quamobrem ſiue hiſtrionem ageret in theatro, ſiue poſt ſcenam populo pro palma ſeruiliter ſupplicaret, ſiue cythara ludicrum in modum cantaret in cœna, laudem à Cicerone Bruto attributam ſuum in dedecus detorquebat. Brutus enim cum nihil gratiæ cauſa faceret, omnia erant grata quæ faciebat: Nero cum ad gratiam cuncta

referret, accidebant ingrata, eo quod Neronem, & Cæſarem dedecerent. Vt ad rem redeam, quemadmodum in homine duo iſta diſtinguimus, ſic in litteratis hominum monumentis. Itaque pulchram illam orationem appellauerim, quæ decora partium compoſitione coagmentetur: venuſtam quoque, ſi ſpiritus, acumina, viuidos ſales, quaſi animæ vim, ac motum adiunxeris. Ex hac ſtyli pulchritudine, & venuſtate in vnum coaleſcente, neſcio quid admirabile in oratione vel carmine exiſtit, quod cum illuſtriori nomine decorari nequeat, cum recentiori ſacræ eloquentiæ infulato magiſtro ad Hermogenis mentem ſplendorem appellamus. Hunc ſplendorem peculiarem Italicæ eloquentiæ characterem aſſerimus; ita vt facilè quidem patiamur alias gentes alijs rebus, & ſingulas ſingulis excellere generibus dicendi, Itali ſplendidum facundiæ genus è probatiſſimis formis conflatum, pulchrum pariter, & venuſtum,

per-

perfectum, abſolutiſſimum, hoc eſt ſtyli, & eloquentiæ principatum vindicamus. Quid expectatis momenta rationum, ſi rem clariſſimis firmant exemplis gemini oratorum & poëtarum Principes, quorum altero Arpinum, & Latium, altero Mantua, & Inſubria, Italiæ regna gloriantur?

Reliquuum eſt A. A. vt cum Homerico Vlyſse peregrinati variarum gentium eloquentiam, et quoniã hæc prudẽtiæ ſucco vacua eſſe nõ poteſt, etiam ſapientiam comparetis. Quàm opima laboris iucundiſſimi merces! cum lingua etiam pectu, & mentem ditauiſſe. Venerunt Salomoni omnia bona pariter cum ſapientia, quam per eloquentiam ſine fraude populis communicauit. vos per ſapientiam facundiamq; peregrinando quæſitam beabitis in præſentia animos veſtros, beatam olim rempublicam facturi. Exiſtimetis enim velim, quamuis in priuata fortuna, non priuato fato vos genitos. Sed

quo-

quoties in hoc theatrum pedem in-ſertis cogitate, vos agere negotium ſeculi, fore, vt hæc ſtudia veſtra quandoque per tempeſtiuos fructus in rempublicam redundent. Sic Alexander Parmæ Dux mars ille Belgicus, tyronem non approbabat, qui vel inter infima militiæ, de ſummis non cogitaret. Quid enim? non videtis quamuis reſpublica æterna ſit, illius partes per momenta difluere, & vetuſtis ſenio dilabentibus, ad illas reparandas veſtram ætatem, veſtram iuuentam deſtinari? Nimirum vt in ſcena alij abeunt, alij ſuccedunt, ita ex ijs qui ſuperiori ſeculo ab hoc licæo egreſſi rempublicam ſuſtentarunt, pars magna nunc ſilent, ſcena mortalitatis expleta. *Succeſſere*, qui nunc agunt, vobis lampada tradituri. At priores illos quanti nunc plauſus conſequuntur ob bene geſtam rempublicam? quàm grata poſteritatis prædicatio? quàm proſpera memoria? quanta apud homines merita, præ-

mia

mia apud Deum? Paria & vobis, ſi ſpei tantæ reſponderitis, ſunt reſponſura. Neque tamen illud ago, vt immatura ambitione vòs inflem, quaſi omnes regendæ reipublicæ deſtinatos. Eritis (fieri ne minus poteſt) eritis qui litteratum otium in publica commoda conferatis. An obſcurum eſt æquè rempublicam conſeruari per eos qui benè parent, quàm qui bene imperant. Niſi fortè animalis felicitas vnius capitis, non reliquorum etiam membrorum ſanitate continetur. Sed mihi credite, ſapiente facundia præditis vobis otiòſo frui obſequio diu non licebit. Nam cordis, & oris veſtri egens reſpublica vos eliget in inſtrumenta regni, facietque, vt ſeruiendo imperantibus imperetis. Denique quidquid eritis, nam cum litteris non eritis niſi magni, ſiue parẽdo ſiue imperando, ſiue vtrumque miſcendo, priuatas fortunas, communes omnium, Chriſtianam rempublicam

con-

conſeruabitis per collectam vndecunque gentium ſacundiam prudentem, & eloquentem ſapientiam.

ELOQVENTIA
SACRARVM
LITTERARVM

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNI PAVLO

O L I V AE

SOC. IESV VICARIO GENERALI

Gulielmus Dondinus Fel.

PROLVSIONEM de eloquentia Sacrarum literarum Rhetorici magiſterij fructum extremũ, idemque ſanctioris diſciplinæ, quam annum quintum profiteor initium, tibi offero noſtri Ordinis moderator ſapientiſſime. Cuius nimirum facundiam ſummam in exponendo Dei verbo ijs, quos pagina ſancta compellat Deos, noſtrũ ſeculum admiratur. Dum Hieronimi, & Auguſtini acumina miſces, & argumenta, cum auſteritate

Gre-

Gregoriani ſalis, mellis Ambroſia-
ni ſuauitatem, Ioannis Chryſoſto-
mi aureum orationis flumen, cum
igneo ſpiritus Apoſtolici fulmine.
Accedit, quod exempla probitatis,
quæ Sacrum eloquium deſcribit in
chartis, tu tranſcribis in vitam; pie-
tatis theſauro ingenij, iudicijque
opes illuſtrante; quarum pretia ex
virtutū conſortio vitiorumue, aut
ſplendent, aut deteruntur. Neque
verò tanti ad te audiendum publi-
cè, vel priuatim concurſus fierent,
niſi ſplendori eloquentiæ opera
præclara ſociares, in æſtimandis æ-
qua lance rerum momentis pru-
dentiam miram, parem in conſu-
lendo libertatem, dictorum, facto-
rumque conſtantem fidem, tum
infeſtam nemini propitiam cun-
ctis in magnanimo pectore aram
perfugij. Salutaria quippe Solis, &
Iouis

Iouis lumina æmulatus, amicitijs Principum ad hominum vtilitatē, non in detrimentum abuteris; vt malefica illa Sidera Martis, & Saturni, quæ in perniciem mortalium cœteris aſtris abominandos fulgores adiungunt. Tam grandia bona animi tui animaduertens congregatio vndecima generalis, vt in domeſticos vſus effluerent, Gosvino NiKel Præpoſito Generali Te Vicarium ſucceſſorem deſignauit, non ſine magno, difficilique cum modeſtia tua certamine. Cum tenuitatem valetudinis cauſatus, diuturnamque à Societatis gubernaculis vacationem, atque hæc facundia qua polles augens in maius, vehementer Patrum ſtudijs obluctareris. At ſapientes viri arte intellecta virtutis, quam & ipſi vſu callerent, pios tuæ ſubmiſſionis co-

na-

natus, & religioſam induſtriam eluſerunt. Quorum alij Gregorij Magni dictum vſurpabant: Eum potiſſimum imponendum honorum faſtigio, qui longiſsimè ab honoribus abhorreret. Tullianam alij de magno Pompeio ſententiã; quo minùs diuturna ſit, eò magis rempublicam debere frui ſummi hominis vita, atque virtute. Vicerunt igitur vota noſtra modeſtiam tuam, & victoriæ teſtes lacrimas dedimus nos gaudij, tu doloris. Quãquam, quia nos diligis, vt diligeris à nobis, communi omnium lætitia priuatum mœrorem temperares. Neque enim ordinis noſtri finibus gratulatio electionis tuæ ſe tenuit; quin vniuerſam Romam peruagata tam ſingulares, atque inuſitatas beneuolentiæ ſignificationes elicuit, vt confluentibus ad gratulandum

dum

dum tibi ſplendidiſsimis viris,facilè appareret,cum honori tuo tantũ ex ingenita benignitate tribuerẽt, plus tamẽ illos de iſtius mentis altitudine,& capacitate ſentire. Deum ad vltimum precor, vt curriculum magiſtratus tui fortunet, tibique noſtræ reipublicæ bono tuendæ valetudinis ingerat curam. Nam ſi Seneca affirmabat, ex quo ſuis caram eſſe intellexerat,fore ſibi cariorem ſalutem ſuam, quanto id magis præſtandum eſt tibi, qui non domeſticis modò, ſed & externis, atque ſummis mortalium te acceptum eſſe non ignoras? Cuiuſque à ſpiritu Societas Ieſu pendet, deuota ſeptemdecim millium virorum acies vbique terrarum Cœlo ſub auſpicijs militans Tuis. Vale.

Digitized by Google

ELOQVENTIA SACRARVM LITTERARVM

A CANORIS poetarũ mendacijs, à fucatis lenocinijs oratorum, à fide hiſtoricorũ ſepius infida, ad interpretanda volumina euocatus, quæ cum prima ſumma veritate nitantur, nefas eſt credi non vera, quo minùs huiuſce ſanctitatẽ loci ſtatim contingere auderem prohibuit maieſtas auguſtiſſimæ facultatis, quæ dignitatem immenſam ab authore ſortita, tanto interuallo præſtat cæteris, quanto humanis diuina præcedunt. Reputabam enim celebres illos Academicæ, vel Peripateticæ ſcientiæ fontes, & decantata in ſcholis Atticæ, Latiæque facundiæ flumina perennantis iam tot ſecula famæ claritate conſpicua, nimiũ quantum ſordeſcere, Iordanis aquis

auro

auro ſapientiæ, & eloquentiæ Cœleſtis fulgurantibus,comparata. Neque Parnaſſi, Pindique culmina, quantauis carminum granditate ſublimia, ad altiſſimos vertices adſpirare Sinai, Sionis, aliorumque ſanctorum montium, ob monumenta Diuinitatis illic appropinquare mortalibus, & iudicia ſua manifeſtare dignatæ, verè proximos Cœlo. En (aiebam) puteum aquarum viuentium! vbi latet veritas fruſtra Democrito ſuſpirata. Quæ interpretum omnes ætates, deſudantium ingenijs perpetuò hauritur, exhauritur numquam. En Sacramentorum pelagus, vbi, vt ait quidam, omnis humana ſapientia deuoratur! Mare humile, & profundum. In quo, vt cum magno Gregorio loquar, elephantes natant, agni ſimplices ambulant, ſuperbi gigantes immerguntur. En adumbratum in Apocalypſi Diuinum librum! Intus, foriſque deſcriptum, hiſtorica narratione præſentium, myſtica ſignificatione futurorum. Quandoquidem humana conſuetudo verbis, Diuina potentia factis loquitur, teſte Auguſtino;
ijsdem-

ijſdemque ſermonibus in more habet (inquit Gregorius) acta deſcribere, agenda nunciare. Librum veterem, & ſemper nouum! qui ſeculis conſeneſcentibus iuueneſcit, Cœlo firmior, quod tranſibit, & Mundo pereunte non periturus. Quin in ruinis Mundi, quas multo ante denunciat, vt inquit Ambroſius, ſuam conſtabiliet veritatem.

Verùm nocturni contemplantibus Cœli ſpeciem, multiplex ipſa claritudo ſiderum officit. Pratum ingreſſis pendet animus, quem potiſſimũ deligant florem. Recreat oculos, at confundit innumerabilium lux pretioſa gemmarum. Ecquam in hodierna proluſione Celeſtium oraculorũ claſſem aggrediar? quam omittam? cum omnia Deum ſpirent, Chriſtum loquãtur. Cum, quæ videntur minima, maxima ſint, nomina, ſyllabæ, iota vnum, vel vnus apex myſterio non vacent. Quemadmodum in hac rerum vniuerſitate, teſte Auguſtino, quę molis minus plus admirationis habẽt apes, formicæ, quàm elephantorum corpora, & bale-

narum

narum. Sic in intelligibili mundo (vt Origenes loquitur) Scripturarum, minima ſapientiam conditoris prędicant, poteſtatem maxima, tam maxima, quã minima bonitatem.

Sed quoniam ab eloquentiæ humanæ curriculis ad interpretanda eloquia Diuina gradum facimus, dubitatio omnis (vt opinor) facilè præcidetur, ſi ſermonem noſtrum artibus, quas huc vſque tractauimus, definientes, eloquentiæ gloria, cuius eſt proprium regnum animorum, florere maximè ſacras literas doceamus; vnde fiat, vt vetus magiſterium non reliquiſſe, ſed conſecraſſe, ac de prophano Celeſte feciſſe videamur.

Vt verò quàm pauciſſimis diſputem & perorem, autoritate ne agam? an ratione? an vtraque? Auguſtini, & Lactantij teſtimonijs, & argumentis. Eloquia ſacra (inquit Auguſtinus) per ora ſanctorum vatum à Deo, & ſapienter fuſa ſunt, & eloquenter. Non intenta in eloquentiam ſapientia, ſed à ſapientia, vt domina, eloquentia, vt famula non recedente. Audite Lactan-

ctantium in hanc fermè ſententiam differentem. Num igitur Deus mentis, & vocis, & linguæ artifex diſertè loqui non poteſt? Qui ſemel intra ſe tota æternitate locutus eloquentiæ viuæ flumine perenni, immenſo, beato redundauit. Extrà ſe verò Mundum condidit, cum loqueretur. Terra priùs aquis obruta, & deſerta, poteſtate Diuinæ vocis emerſit plantis, atque animalibus celebrata. Mare ſolis ferax procellis, Diuina facundia fœcundatum, ſuos ex aquis cultores accepit, & aeri dedit. Celeſtes orbes Diuinæ vocis periodo tornati ſunt. Stellæ vocatæ, quæ nullæ erant, audierunt tamen, perque radios linguas ſuas dixerunt: Adſumus. Ecquis vnquam orator ornatiùs dixit? quàm qui per vnum verbum luce ſtellas, ſtellis Cælum, Cœlo mundum ornauit. Adderem è recentiorum choro Aquinatem Thomam, & Picum Mirandulanum Phœnices ingeniorum ſeculi ſui. Quorum alter illud explicans Prou. 9. miſit ancillas ſuas vocare ad arcem: actuoſas pariter, & contemplatrices facul-

tates obſequijs doctrinæ ſacræ mancipatas agnoſcit. Intelligentiæ quidem quam litteralem vocant, quoniam prima è litera eruitur, Grammaticam, & Rhetoricen; ad indagandos verò effodiendoſque myſticorum ſenſuum theſauros, quod Hebræi verbum magnũ appellant, reliquarum omnium miniſteria diſciplinarum.

Alter poſtquam probatos authores omnes euoluiſſet, ita vt ſatietas humanarum literarum iam caperet, in Diuinis opportunum leuandæ ingenij ſiti nactus eſt fontem aquæ viuæ in Cœlum ſalientis. Quare in l. de exam. doctr. gen. affirmat: laudatum à Tullio in Tuſculanis Aeſchinis locum in Demoſtenem inuehentis, tamquam vim magnam, atque artem contineret, legiſſe diligenter, & obſeruaſſe. Mox aſſumpto in manus Eſaia, celeſtes iras Hebræis populis minante, toto Cœlo Atticam ab Hebræa facundia diſtare viſam. Humi ſerpere, frigere, balbutire Aeſchinem; Iudæum vatem in altos tendere nubium tractus, ſpirare turbines, micare fulgetris, ciere toni-

tonitrus, fulminare.

Verùm his ego autoritatibus, & rationibus opus non habeo, vbi exemplis cauſa conficitur. Cum enim omnis eloquentia id agat, vt doceat, vt delectet, vt moueat, comparatis ad docendum ſcientijs, & argumentis, varij generis ornamentis ad oblectandum, ad permouendum incendiis animorum ſuſcitatis: tripartitæ huiuſce facultatis documenta ſcripturarum facundia ſuppeditabit.

Dies me deficiat, ſi quæ in ethnicorum bibliothecis diſperſæ ſunt ſcientię, artes, in vno bibliorum volumine comprehenſas cum Romano Clemente velim indicare. Prudentiam iuris, & reipublicæ regendæ requiris? fontem Græcarum Romanarumque legum, ſcias (inquit Clemens) in Pentateucho ſcaturire. Canonicas ſanctiones ab authoritatibus veteris, ac noui teſtamenti deriuari Innocentius tertius pronunciauit. Licurgi, Dracones, Zauleuci, aliique gentium inſtitutores, heri aut nudius tertius nati videantur, ſi cum Hebræo Legiſlatorum ante-

anteſignano,& magiſtro comparētur, qui vel ipſos gentium Deos, Iouem ,& Saturnum ſeculis antecedit. Phyſiologiam cupis? in primis Geneſeos capitibus, in Eccleſiaſte, in Iobo æraria naturæ contemplabere, theſauros grādinis, atque niuis, fulminis ortum, progreſſum,eruptionem inſtar prœlii, gemmarum, ac metallorum origines, quadrupedum, piſcium, auium generoſiſſimas, Rhinocerotis indomitam telis, & iugo fortitudinem, dominantia in profundo mari cete, & quacunque incedunt, commouentia fluctuum tempeſtatem.

Si cum Geographis terræ ſitum, & figuram noſcere optas, non dum grauiſſimum elementum, nutibus in ſe vndique ſuis conglobatum, in media Mundi ſede Ariſtoteles argumentis conſtituerat: neque rotundam illius figuram mathematicorum vetuſtiſſimi demonſtrauerant contra Anaximandrum qui columnæ,Anaximenem, qui menſæ,Leucippum, qui timpano ſimilem aſſerebant, cum lyriſta coronatus quingentis ante annis fundatam terrā

ſuper

ſuper ſtabilitatem ſuam, nullis in cli-
nandam ſecu lis decantabat; vateſque
nobilis Eſaias ſedentem ſuper ter-
ræ gyro, prouidentiam Numinis ado-
rauit.

Si grauia Ethicæ grauiora Theolo-
giæ ſtudia, vel Poeſeos, Hiſtoriæ, ora-
toriæ amœna deſideras: è Cœlo ſapien-
tiam ore Socratis in Græciam nondum
deuocauerat Plato, cum iam illa Pale-
ſtinæ, vicinarumque regionum inqui-
lina, Salomoni, Syracidi, aliiſque agio-
graphis, documenta ſuper auri millia,
& argenti pretioſa dictabat. Nondum
antiquiſſimi Græcorum pòètæ, ac theo-
logi, Minus, Orpheus, Muſeus hymnos
celeſtes effuderant: neque cœcus Ar-
go oculatior viam viderat, qua iretur
ad epici carminis gloriam, ad tragici,
Sophocles, & Euripides: nondum He-
rodotus, ac Thucidides immortali ſty-
lo ſuæ gentis bella conſignauerant,
neque Aeſchines, & Demoſthenes elo-
quentiæ fuguribus Græciam miſcue-
rant: quando Iſraelitarum pòèſi eri-
threi gurgites vadati ſicco veſtigio ſo-
nuerunt, Diuino Spiritu, decies cen-
tenis

tenis hominum millibus euchariſticum carmen inſpirante: ſuam Iobus tragœdiam argumentum idem, & actor repræſentauerat, ſoluente nodum de turbine, non de machina Deo, neque fabulæ, ſed veritatis exitum explicante, Diuinas in pſalmis laudes, Rex leonum & gigantum interfector, ſaltator non minùs, ac fidicen glorioſus, quàm Dux & præliator occinuit; eiuſque ſoboles Rex pacificus, in paſtorali cantico amores ſacros. Primordia verò, Cœli, terræ, humani generis, & Hebræorum Principium Moyſes contexuit, hiſtoricus idem, & pöeta, theologus, & vates, paſtor, & legislator, Sacerdos, & Imperator. Tum Prophetæ duodecim, qui minores, quatuor, qui maiores pro magnitudine concionum ſunt appellati, diuinæ eloquentiæ fulminibus, Hebræos, Aegyptios, Aſſyrios, vniuerſum genus humanum, præſentia, futura ſecula terruerunt.

Verùm ego nimis anguſtè de ſacræ ſcientiæ maieſtate ſentirem, ſi cœteras in eo doctrinas contineri tantùm pronunciarem, neque confidenter adiun-

gerem,

gerem, ſcientiarum, atque artium decora in huius veritatis luce lucere; qua olim deſtituta errorum tenebris, & ignorantiæ nocte premebantur. Primam doctrinæ facem generi humano experientia ſenſuum excitauit: ſed hęc teſte Principe medicorum eſt fallax. Alteram aperuit ratio naturæ lumen; ſed hoc ex ſe modicum (inquit Auguſtinus) perturbationum nebulis obſcuratur. Tertiam in ſcripturis ſanctis lucernam longè clariorem pedibus noſtris accendit verbum Dei. Neque modò Scholaſticæ Theologiæ partes omnes hoc lumine colluſtrantur: Natura Diuina, eiuſque dotes, illa magnitudo, & ſapientia, cuius non eſt finis, non eſt numerus, potentia firmantis verbo Cœlos, & Spiritu ſui oris ornantis, inennarrabiles diuitiæ bonitatis, quæ nihil odit eorum quæ fecit, neque continet in ira ſua miſericordias ſuas: Iuſtitia, cuius oculi mundi ſunt ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poſſunt, ſed philoſophorum ſcholæ ad veritatem, non ad opinionem permulta, vt Angelicus Doctor

aſſe-

aſſerit, didicerunt: initio à Domino terram fundatam, & opera manuum eius Celeſtes orbes, illam ſtare, hos moueri, factas angelos, & miniſtras numinis mentes, ſupereſſe funeri hominum animos, neque vitam, ſed mortalitatem morte finiri, portare omnia verbo virtutis ſuæ, ac præſidere rebus humanis Deum rectè, aut perperam factis vicem redditurum, aliaque ſexcenta.

Quoties occaſione ſimilitudinum arcana naturæ deteguntur? Quoties in hiſtoriæ litera allegoricè deſignantur! vt in veſte ſacerdotali poderis teſte ſapientia c. 18. vniuerſi terrarum orbis imaginem, Hebræorum Pontifex, ipſe Diuinæ Maieſtatis imago circumferebat; atque, vt Hieron. in epiſtolis aduertit, totus Mundus in tabernaculi deſcribitur ſacramento. Neque verò, ſi liber Sanctarum Scripturarum illius mentis eſt partus, quæ interiore verbo à tota æternitate innumerabiles mundos effinxit, eodem exteriùs reſonante, Mundum hunc pulcherrimum initio tẽporum excitauit à mirari debemus nimio opere, ſi eodem

in literarum monumenta transfuſo,ſententiarum mundum amplectitur? vt non ex falſo Rabbini glorientur, non eſſe literam, de qua non pendeant magni montes doctrinarum. Huic rerum, & ſcientiarum amplitudini attemperatur ſacrorum voluminum ſtylus, ita vt nec deficiat, nec redundet. In prophanis mare verborum, & guttæ rerum; in ſacris mare rerum, verbis adæquatur. Sermo perſpicuus, & grauis, creber ſẽtentijs, & ſimplex, qualis à Seneca ob ſapientiam philoſopho, Regi ob potentiam attribuitur, quanto magis conuenit omniſcio, & omnipotenti Deo?

Verùm ſi magnifica eſt, & venerabilis ſacra facundia, propterea quod abiſſum Sapientiæ continet ad docendum, non iucunda erit, & amabilis, quod ſecundo loco propoſui, cum legentes mirum in modum oblectet? Dum grandia, dum inaudita, dum inopinatos rerum euẽtus exequitur, multa figurarum ſuauitate. Vt enim omittam idem ſacrorum voluminum principium ac mundi, & admirandam e nihilo in omnia metamorphoſim, cu-

deſcendit. At infidum mare ſeruaſſe fidem Iſraelitis profugis gloriabitur, ſuſpenſisè Moſaica virga naufragijs, idemque inhumanis Aegiptijs humanitatem denegaſſe, quos proceIloſo ſepulchro priùs quam perimeret, tumulauit. Nequè minùs in miraculorum partem tellus veniſſe teſtabitur; ſiue deſerti rupes in latices mellifluos eliquaret, ſeu ſtabilitatis oblita, ad tubarum quaſi vẽtorum flatus commota in ſicco tempeſtate, Iericuntinas fluctuare turres, ac ſuis immergi ruinis, pateretur.

Verùm his delibatis, vt reliqua curſim attingamus, ecquis comicę fabulæ iucundior exitus, illa Ioſephi, & fratrũ agoitione dulciſſima? Iſaaci iam iam immolandi, in gaudium vertente tragedia? Goliathi, vel Holofernis cæde, qui puerili, & fœminea manu obtruncati docuerunt, armatam ſuperbiam, in trophęum cedere inermis innocentiæ? Tot conuerſionibus fortunæ, à, proſpera, in calamitoſam, vt in Saule. Achabo, Amano, alijſque: aut miſeræ in felicem, vt in Ioſepho, Iobo, Dauide Quàm horribilis potentia ſceptri Mo-

ſaici, virgam inter, & ſerpentem ambigui? Quàm vltra fabulas progeſſa veritate Samſonis fortitudo? Quam æmulanda viris audacia Iudithæ? fœminis, Suſannæ caſtimonia? pueris ſimplicitas, & ſolertia Samuelis? Quid dicam de narrationibus rerum tantarum res alias longè maiores in altero gratię, vel gloriæ mundo futuras adumbrantibus? Nonne Chriſtus (vt ait Ireneus) inſeminatus eſt vbique in ſcripturis? eiuſq; ſponſæ fata ſeu militantis Eccleſiæ ſeu triumphantis? Hinc ab initio mundi per omnia ſecula agnus occiditur: in Abele ab inuido fratre percuſſus, ab inuidis fratribus venditus in Ioſepho, in Dauide ab inuido Rege vexatus, multipliciter ſaucius in Iobo, flagellis conciſus in Ieremia, in Iſaaco, & Iephtæa virgine immolatus, in Samſone aduerſarios occiſus occidit, de ſepulcri triduani ventre reuiuiſcit cũ Iona, nube curuli cum Elia Cœlum inuehitur. Quid dicam de vaticinijs prophetarum, ſe in omnes æui, & mundi partes extendentibus? Quorum pars maxima cum iam finem in Chriſto

ſer-

ſeruatore habuerint, non eum tamen qui vulgo hominum, ac Demonum credebatur, hunc ſeculorum errorem agnoſcentes quanta voluptate perfundimur? Et ludere dignatam in orbe terrarum cnm filijs hominum vſque ad delicias maieſtatē Numinis adoramus. Accedit, quod res tam iucundæ flore vario figurarum veſtiuntur ad vſum, non ad luxum, ad pugnam, non ad pompam, inſtar gladij vagina nudati, qui ſplendore delectat, ſed mucrone vulnerat. Quid, vti lucis munere, ſic appellatione ſuauius? Hæc ad vitam, ad gratiam, ad felicitatem, ad ipſam diuinitatem ſignificandam adhibetur in ſcripturis. Contra, tenebræ, caligo, nox mortem, peccatum, malum Demonem notant. Hinc ſepulcrum, terra caliginis dicitur, & vmbræ mortis: via peccatorum, tenebræ, & lubricum, tyrannis Demonum, poteſtas tenebrarum.

Quam illę ſplēdidæ a Cœlo, & ſideribus accerſitæ? Cum ſecreta ſit, quieta, omnia contineat celſitudo Diuinitatis teſte Bonauentura, dicitur Cœlum, in Deuter. Reſpice de Sanctuario tuo, & de

de excelſo Cœlorum habitaculo. Ornamenta Cœleſtium orbium Sol,& Luna felicitatem ſplendorem deſignant. Eſai. Non occidet vltra ſol tuus,& Luna tua non minuetur. Obſcuratione miſeriam, Amos; Occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram terram in die luminis. Quid amœnius translationibus ab igne aere, aqua,terra mutuatis? Dauid Angelos vocat ignem vrentem, ob celeritatem, amorem, claritatem. Ab aere ducta metaphora, ſectari eurum, paſcere ventum dicuntur Hebræi, hoc eſt vanitatem amplexari. Aquarum receptacula, torrentes,flumina, maria, pro copia & abundantia bonorum, malorumue ponuntur. Ierem.Aſcendit ſuper Babilonem mare, multitudine fluctuum operta eſt. Vt Cœlum ſublimia,ſic humilia terra indicat apudIo:Qui de terra eſt, de terra loquitur.Quã lepidæ illæ ab homine accerſitæ,vel à rebus humanis? vt dum quęcunq;ab altero pendent,aut mutuò ſunt connexa, filij dicuntur, filij areæ frumenta, filiæ pharetræ,ſagittæ, filij olei, colles pingues, filiæ cantici, omnia canora, filius auroræ lucifer

ſe r, filius doloris, Bononi matre genitu s moriente. filij roboris, filij Dei, lucis, & regni, vocantur probi, contrà improbi, filij Belial, filij tenebrarum, iræ, perditionis, & gehennæ. His ſimilia: viri cordis belli viri, viri virtutis, quibus oppon as virũ rixæ, virũ mortis, virũ ſanguinũ, virum dolorum. De balena canit Iob: ſicut ſtipulam æſtimabit malleum, & deridet vibrantem haſtam. Exultatione colles accinctos, montes, vt arietes exultantes prædicat Dauid, dum viderunt te aquæ Deus, & timuerunt. Irati Numinis nomine Moſes tonat Inebriabo ſagittas meas ſanguine, gladius meus deuorabit carnes. Dauid pariter: Iuſtus manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Qualem Nabalis terrorem depingit Regum Hiſtoria? Et mortuum eſt cor eius in medio eius. Iudæorum mæſtitiam hiſtoria Machab. Ablata eſt voluptas à Iacob, & defecit ibi tibia, & cithara.

Hæ, aliæque troporum deliciæ, ludus fortaſſe, iocuſque videbuntur, ſi cum vehementibus figuris conferantur ad permouendos animos (tertium, & ſu-

ſupremum munus) accomodatis, quæ ſanè grauiſſimis perturbationum concitatæ motibus, veluti naues in turbulento oceano, impetu abreptæ furentium aquilonum, velis maioribus nauigant.

Sacræ ſcripturæ conciones præſertim in Prophetis legatione pro Deo fungentibus,non mouent, non perſuadent (inquit Mirandulanus) ſed cogunt,agitant,vim inferunt; verba flammea,aculeata, ad imum ſpiritum penetrantia; ita vt verum appareat illud Ieremiæ : *Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram ?*

Cuius enim pectus terrore non quatiant illæ Ioelis minæ, an tonitrua ? ſub aduentum exercitus Aſyriorum ? *Canite tuba in Sion, vlulate in monte ſancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ. Venit dies Domini, prope eſt dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis. Quaſi mane expanſum ſuper montes, populus multus, & fortis. Ante faciem eius ignis vorans & poſt eum exurens flamma. Quaſi aſpe-*

ſpectus equorum, aſpectus eorum, ſicut ſonitus quadrigarum ſuper capita montium exilient. A facie eius contremuit terra, moti ſunt Cœli, Sol, & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.

At Ieremias vt doceat excidium ineuitabile iam iam imminere, quàm artificiosè futuris præterita ſubiungit? *Ecce, vt nubes aſcendet, & quaſi tempeſtas currus eius, velociores aquilis equi illius, væ quoniam vaſtati ſumus!* Idem emphaſim, & hyperbolem crebrò vſurpat: *Sion quaſi ager arabitur Ieruſalem in aceruum lapidum erit.* Et Amos. *In omni loco proijcietur ſilentium.* Inquem Hieronymus: cum ex occidione (inquit) deſolatio, ex deſolatione ſolitudo, ex ſolitudine ſilentiũ, in toto orbe terrarũ modò prouectũ eſt ſilentium Iudæorum; vbicunque enim fuerint, muſſitant potiùs, quam loquuntur. Cum verò ſit filia contemptus ira, & in ſceleſtos homines, maximè in ingratos inflammetur, hæc Iudæorum flagitia redarguens Eſaias, initio c. 1. vt in atroci-

bus

bus rebus fieri ſolet Cœlum cum terra teſtes inuocat: tum commemoratis diuinis beneficijs Iudæos ingratos belluis confert tanquam ſtupidiores: enumerat deinde ſcelera, & exaggerat per allegoriam: tandem in furorem minarum erumpit, paucis horrenda quæque complexus.

At quantos lacrymarum imbres excitat Ieremias dum Hyeroſolymæ excidium figuratè deplorat. *Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion? Proiecit de Cælo in terram inclitam Iſrael!* Ipſam querentem per proſopeiam inducit. *Tetendit arcum ſuum poſuit me ſignum ad ſagittam, miſit in renibus meis filias pharetræ ſuæ.* Quam exprimit ad viuum dolorem per comparationes? *ecce peruenit gladius vſque ad animam, vocem quaſi parturientis audiui, anguſtias vt puerperæ; filiæ Sion intermorientis, expantiſque manus ſuas.* Ad audaciam deniq; pòeticam accedit illa apoſtrophe *Mucro Domini vſquequo non requieſces? ingredere vaginam tuam, refrigerare, & ſile.*

Quan-

Quanta facundiæ arte idem vates Iudæos varijs calamitatibus obrutos, ad agnitionem criminum, & dolorem inducit? exprobans primò ingratum animum, per comparationes pœnitentiam ex amore ſuadentes. *Numquid obliuiſci poteſt Virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ Populus autem meus oblitus eſt mei diebus innumeris. Si mutauit gens Deos ſuos, & certè ipſi non ſunt Dij; populus autem meus mutauit gloriam ſuam* (hoc eſt veri Dei cultum) *in Idolum.* Indignitatem facti auget per exclamationem. *Obſtupeſcite Cæli, & portæ eius deſolamini vehementer! duo mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciciſternas diſſipatas.* Quia reprehenſionis fulmen eſt odioſum, in ipſoſmet reijcit. *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. Scito, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* Ipſe expanſis miſericordiæ vlnis inuitat. *Fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit Dominus.* *Frons meretricis*

facta

facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere: ergo ſaltem amodo voca me, Pater meus, Dux virginitatis meæ es.

Tam vehementi facundiæ, cum ſancti vates perſępè conuenientia facta coniungerent, cum Eſaias per vias, & fora vagaretur nudus, catenas captiuitatis indices traheret Ieremias, Ezechiel ſordidè, ac malignè paſtus, cilicium circumferret, Oſea vxore de ſtabulo ducta, filijs nomina diuinam indignationem ſignificantia, & abdicationem populorum imponeret, aſpectu ipſo, & corpore toto, non minus quàm vocibus perorabant. Poſtquam naufragum vatem de ſepulcro ventris in Aſſyrium littus cetus euomuit, cum pedore ſqualens, ac illuuie marini carceris Ionas horrendum carmen intonare cœpiſſet: Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur, ciuitatem delicijs innatantem, è laſciuia in continentiam, è voluptate in luctum ita commutauit, vt ipſe immutabilis Deus ex irato in miſericordem, abolita euerſionis ſententia mutaretur. Manente tamen Ionæ vaticinanti fide, vt aſſerit Au-

gu-

guſtinus : Cum pro Niniuitarum tectis Niniuitarum corda, nobiliorem Niniuen, pœnitentia ſubuertiſſet.

Sed hi populos, aut Reges: Abrahamus; & Moſes Regem Regum, Cœlitum, ac mortalium Principem Deum, flexanima facundia, quæ ſanctis extat in paginis, commouerunt. Quorum alter in Hebreæ gentis excidium incitatum Numen tam violento ſermone continuit, vt ſe dimitti fruſtra poſtulauerit: alter, cum pro ſceleratis vrbibus deprecaretur, eò paulatim paternam numinis indulgentiam prudentiſſima oratione perduxit, vt, ſi decem tantùm iuſtos viros habuiſſent, adhuc Gomorrha, & Sodomæ ſtarent.

Iam verò intelligitis A.A. quanto in pretio apud vos eſſe debeat ſanctarum eloquentia literarum, quæ docendo, delectando, permouendo, regnum obtinet animorum, quòd viua, quòd vera, quòd immortalis, quòd lucem, ſalutem, beatitatẽ parit. Sermo Dei viuus eſt (inquit Apoſtolus) eodem quippe ſpiritu; quo Diuinitas animatur. Quemadmodum in humana Chriſti natura, ſic & in

Sa-

ſacris paginis teſte Origene maieſtas Diuinitatis occulitur. Quamobrem olim in templis cum auguſtiſſima Euchariſtia pari propemodum veneratione ſacri Bibliorum codices aſſeruabantur. Sermo profanus plurimum probabilibus, falſis interdum, & mendacijs graſſatur ad victoriam animorum, ingenuè fatente Tullio, ſe in orationibus aliquando tenebras iudicibus offudiſſe. Eloquia Sacra funduntur à Deo veritatis: ac proindè vna veritate nituntur rerum potentiſſiſima, & ſempiterna. Nàm meritò queritur neſcio quis, humanæ facundiæ gloriam præteruolare tum vocibus præteruolantibus, perituram cum literis perituris. Verbum Dei Cœlo, terraque t, anſeuntibus, non præteribit. Ec quando ſermo mortalis eò potentiæ venit, vt ſalutem, vt lucem, vt ſaturitatem, vt felicitatem impertiret? Hæc ſunt eloquij Diuini celebrata miracula. Miſit verbũ ſuum, & ſanauit eos: eerbum tuum lumẽ ſemitis meis, canit vates purpureus. Et in Euangelio Chriſtus hominẽ in omni verbo Dei viuere affirmat; quin audientium

tium illud,& cuſtodientium beatam ſortem prærogatiuis Diuinæ matris anteponit. O nos beatos, ſi bona noſtra nouerimus! ſcientiam illam tractantes, quæ vt principium, teſte Hieronimo, ſic & terminum habet in Cœlo. Si peregrinantibus in regione vmbræ mortis lucernam fidei verbum Diuinum accendet, donec immortalitatis in patria gloriæ lucifer oriatur. In die ambulamus comparatione infidelium, inquit Auguſtinus; comparatione illius diei, quando reſurgent mortui, adhuc nox ſumus. In die igitur ambulemus inter tenebras mortalitatis, perpetuò verſemus in pectore, in ore, & inter manus cum ſcripturis ſanctis, veritatis lucem, vitæ beatitatem, æternitatem, Deum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

INDEX

Panegyricorum.

Triumphale certamen patientis Dei.

In Dei morte rerum futurarū adūbratio.

Iubileus primus, & maximus à Chriſto Pontifice celebratus.

In funere Ferdinandi III. Imp.

In funere Vladiſlai Poloniæ, ac Sueciæ Regis.

In funere Card. Boncompagni Archiepiſc. Neapolitani.

In parentalibus, quæ optimè de ſe meritis grata ſocietas celebrauit.

Lauretana domus aula cæleſtis.

Lauretana domus terreſtre cælum.

Lauretanæ domus cum veteri Roma comparatio.

Regius ortus Deiparæ.

B. Aloysij laudatio.

Deliberatio de immolanda Iephte filia.

Eloquentia variarum gentium Germanorum Polonorū Belgarū, Britānorum. Gallorum, Hiſpanorum Italorum.

Eloquentia ſacrarum litterarum.

Digitized by Google

INDEX
Rerum quæ in Panegyricis continentur.

Ex Orat. 4. in funere Ferdinandi Tertij Imper.

Ferdinandi mors Chriſtianæ reip. lugenda. 891
Virtutes variæ, pietas, prudentia, iuſtitia &c. 893, & ſeq.
Litteris, & armis ornatus Princeps. 899
Spartani, & Cretenſes cytharas adhibent in certamine. 900
Ferdinandus fortunæ inuictus. 900, & 905
Varia ſors belli Germanici. 902 & ſeq.
Conſtantia in morte filij. 906

Ex Orat. 5. in funere Vladislai IV. Poloniæ Regis.

Mors Principum illuſtrium cur non lugenda? 29
Vladislai natalium ſplendor 30
Anna Auſtriacæ pietas. 31
Polonia cum Moſchonia in unum regnum non coaleſcit, et cur 33
Oſmanes Turcarum Imperator Poloniam inuadit. 34
Aliquot pariter æmuli Principes 35
Vladislai, & Polonorum fortitudo incredibilis. 36
Oſmanes à ſuis interficitur. 37
Moſchus cum 170 *bellatorum millibus Smolenskum obſidet.* 38
Vladislai in ſuperandis Moſchis virtutes variæ. 39
Moſchi armis exuti. 40
Amurathes Turcarum Imper. territus pacem redintegrat. 41
Etiam Sueciæ Regina. 42
Pax longa in Polonia ſub Vladislao præfertur 40 *Sigiſmundi victorijs* 42
Vladislao mortuo bella ſuſcitantur. 43
Romanorum conſuetudo ferendi bella. 44
Hæreticorum facinus in Catholicos. 46

Con-

Concio accuſantis Hæreticos. 47
Concio excuſantis. 48
Concio damnantis petulantiam Hæreticorum. 50
Hæreticorum miſeriæ immiſerabiles 53
Ariani pelluntur Polonia 53
Vladislaus luſtrali criminum anno Romam venit ſumma cum gloria 55 & ſeq.
Honores exhibiti Vladislao à magnis Principibus 59
Oſmanes Elefantum dono mittit 59
Scytharũ Camus per legatos veneratur. 60
Virtutum Vladislai enumeratio. 60 & 64
Corporis forma 62
Extremum eius facinus & mors 63
Elogium 64

Ex Orat. 6. In laudem Franciſci Card: Boncompagni

Virtus non laudatur niſi poſt obitum cur 69.
Card: Boncompagni virtutes. 70 & ſeq.
Ingenij dotes & doctrina 70
Anti ſtiti neceſſaria vitæ ſanctitas 72
Boncompagni pietas erga Deum 73
Morum grauitas 74
Caſtimoniæ ſtudium 75
Liberalitas 79 & 86

Caritas erga populos. 86
In Veſuuiano incendio eiuſque damnis 84
Aegritudo, & mors. 88 *& ſeq*
Beneuolentia in ſocietatem Gregorianæ non impar 92
Boncompagnæ familiæ laus 94

In Parentalibus quæ optime de ſe meritis ſocietas Ieſu celebrauit.

Gratus animus Societ. in bene de ſe meritos 99 *& ſeq.*
Ornatur illorum liberalitas. 102
Comparatur liberalitati Diuinæ 105
Enumerantur fructus, ut populorum ſalus &c. 106 *& ſeq.*

Lauretana Domus aula Cæleſtis

Henrici Gallorum Regis de Pontificia potentia iudicium 132
Lauretana domus fæcunda magnorum Principum ſobole 136 *& ſeq.*
Læta triſtibus mixta de Cœlo fluunt. 136
Aduerſa interdum optanda 137
Deſcriptio fluctuantis animi 148

B.

B.V. apparens in ſomnis aegro Card. ſanitatem, & Pontificatum pollicetur. 139
Pij II. in Conc. Mant, facundia. 143
Fœdus inter Pium II. Venetam Remp. & Burgundiae Ducem. 143
Pius II. à Lauret. virgine ſanitatem recipit Eius concio ad Card. de bello pro fide ſuſcipiendo. 144
Laur. V. inuocata globus ferreus ad Iulij Pont pedes procidit: 147
Naupactæa victoria Lauretanae Virgini attributa. 149
Ioannis Auſtriaci, & Marci Antonij Columnae in lauret. V. gratus animus. 150
Mos vetus trophœa ſtatuēdi de hoſtibus. 151
Lauret. Virg. fauor erga Venetos in bello Turcico. 153
Galliae Delphinus à lauret. V. impetratus 155.
Valetudo Caſimiro Poloniae Regis fratri 155
Caduca, & aeterna munera per B. V. impetrata conferuntur interſe 156 *et ſeq.*

Lauretana Domus Celum tereſtre

Cælum Dei Domus 180
Cœli pulcritudo, et perennitas 181
Pulchra in terris fragilia 163

An etiam in cœlo? 164
Lauretanae Domus aeternitas 164
Nobilitas ab hoſpite magno magis quam ab amplitudine 165
Plinius adulatur Traiano Imp.
Ingredictium Lauret. Domum affectus piet. varij 167
Affectus, et obſequia angelorum

Lauretanæ domus cum veteri Roma comparatio 172

Romæ potentia ab armis, tributis, triumphis. 174 *et ſeq.*
Lauret. domus potentia ab erebo, et Cœlo deuicto 17
Lauret. theſaurus Rom. confertur, et præponitur 17
Laur. Domus mobilis immobili Capitoli praefertur. 18
Deſcriptio veteris Romae dirutae. 184 *ſeq.*
Lauretana domus nunquam diruenda 1
Enumeratio eius beneficiorum 187 *et ſ*

Re

Vtrum præſtet naſci Principem, an eligi 150.
B. V. nobilitas ſingularis 151
Romana funera ſpeciem triumphi praebebant 192
Ad nobilitandos poſteros non exigitur maiorum fama bona, ſed magna
B. V. maiorum crimina labem nullam poſſunt aſpergere 195
Maieſtas Annae Auſtriacae Hiſp. Regi deſponſae deſcribitur ad B. V. Maieſtatem *declarandam.* 156 *et deinceps*
In ortu Deiparae terrarum orbis gaudio perfunditur 157
Pr*incipatus* Pr*incipum vitia denudat* 198
Virtutes Regiae B. V. 199

B. Aloyſij Laudatio

Tactum eſſe validum ad faſcinandum rerum naturalium inductione probatur. 200
Aloyſiana animi demiſſio C. Neronis modeſtiae prefertur. 206
Studium honoris malum eſt origine caeleste 207
Vocibus adulantium ſeuera pectora faſcinan-

nan-

nantur. 208
B. *Aloyſij ad Didacum Hiſpaniarum Principem concio parenetica.* 211
Inuocatur B. *Aloyſius ad ambitionem abigendam.* 212 *et deinceps*

Deliberatio de Immolanda Iephte filia.

Christi Domini Cruciatus in hac rerum vniuerſitate expreſſi. 28
In *ſacrificijs præſertim* Iſaaci *et filiae Iephte. Nefanda victimarum genera apud ethnicos.* 256
Iephtææ Virginis virtus et pulcritudo. 256 *et deinceps.*
Commiſerationis excitatio. 258
Naturae leges ſilent vbi ſecus iuſſerit naturae conditor. 262 *et deinceps*
Numinis et Principum *facta non diſcutienda ſed veneranda* 266
Abrahami Sacri*ficium cur difficile?* 266 *et deinceps*
Amor in patriam praeferendus amori in filios. 268
Magni certaminis deſcriptio 268 *et deinceps.*
C*oncio ad filiam Iephte vt fortiter mortem* ſu-

ſubeat. 272
Enumeratio bonorum eius mortem conſequentium. 272 et 273

Eloquentia variarum gentium

Eloquentia pro Cœli, et elementorum diverſitate variatur 279 280
Homo, eiuſque dotes tum animi, tum corporis pendent à Cœlo et elementis. 282
Afrorum mores et facundia à moribus et facundia Borealium populorum cur diſcrepent? 283
Patria influit in mores, et ingenia. 289
Cur Athenis, et Romæ factiones et ſeditiones plurimae. 289
Cur Athen. limata, Laconum breuis, Aſiat. copioſa Rhod. florens facundia? 290
Varia diuerſarum Europæ gentium Oratio. 295
Germanorum mores, & facundia 297 & *deinceps.*
Tilliani exercitus fortitudo 299
Germani vnicè timent Cœli ruinam 300
Poloniæ deſcriptio. 301
Polonorum Oratio generoſa 303
Sigiſmundi Poloniæ Regis concio magnanima 304
Caſimiri Poloniæ Principis fortitudo 305

Bel-

Belgarum Mores 30
Belgij deſcriptio 307 30
Bolgarum Oratio ſimplex, & perſpicua 20
Ludi, & ſpectacula in inſulis Flandroru
exhibita 31
Adhortatio ad bellum contra Turcas 31
Britanniæ deſcriptio 31
Britanni cur ſententiæ tenaces? 3
Britannorum fortitudo 3
Britannorum Oratio efficax 31
Galliæ deſcriptio 3
Gallorum indoles mira 3
Deliciæ in Galliam inductæ ad ferocian
gentis temperandam 3
Gallorum mores 3
Gallorum bella glorioſa 3
Gallorum facundia
Ludouici XI. Galliæ Regis dictum. 3
Dictum Henrici IV. 3
Ludouici XIV. Gallorum Regis dictum.
Agmen ſe verberantium hoſtium exerci
occurit.
Lupi oratio Attilam placat.
Hiſpaniæ deſcriptio, & laus.
Hiſpanorum fortitudo.
Hiſpani virtutibus Italorum, et Afroru
imbuti.
Hiſpanorum mores.
Hiſpanus peditatus ab Henrico IV. Ga
rum Rege laudatur.

H

Hiſpani bis mille triginta Maurorum millibus reſiſtunt. 342
Caroli V. comitas, et Philippi II. grauitas. 343.
Alfonſi VI. Caſtellæ Regis cadauer ſeditionem compeſcit. 345
Rocchi Gonzalez è Societate Ieſu cædes. 349
Oratio cordis viſceribus auulſi. 350
Barbaræ crudelitatis deſcriptio, et execratio. 352 *et deinceps*
Hiſpanorum oratio magnifica. 355
Itali varias à variis gentibus facundiæ dotes mutuantur. 357
Germanorum grauitatem, maieſtatem Hiſpanorum moribus, et ſtylo repræſentant 358.
Pontificum maieſtas inermis vincit Reges armatos. 359
Veneti recuſant pacem oblatam à Turcis 359
Italorum oratio grauis, et magnifica. 360
Tullius in omni dicendi genere dominatur. 360
Saluſtij Oratio grauis. 361
Liuiani ſtyli maieſtas. 363
Iacobi Columnae fortitudo inſignis. 367
Italorum Oratio ſublimis, et vehemens exemplo Liuii. 370
Barclaij ſententia de moribus Italorum reprobatur. 372

Ita.

Itali candidi ſimul et prudentes. 372
Marchionis Ambroſij Spinulae oratio ſincera ſimul, et callida. 373
Hoſti non creditur etiam vera dicenti 374
Italici ſtyli candor exemplo Caeſaris. 377
Exemplo Ciceronis. 378
Quidam mortuum ſimulans educitur è cuſtodia. 381
Italicae orationis energia et enargia exemplo Corn. Taciti. 384
Itali ſuauitate Gallis non cedunt. 386
Adelaidis Italie Reginae fortuna varia. 386.
Styli ſuauitas quibus rebus efficitur. 389
Q. Curtij ſtylus ſuauis. 390
Italiae ſplendor ſplendidā facit orationem. 393
Res in Italia ſplendidae. 39[illegible]
Domitiani cœna funebris: 39[illegible]
Heliogabalus roſarum eluuione obruit Senatores. 39[illegible]
Auguſtinus Chiſius Regibus magnificentia par. 4[illegible]
Auguſtini Chiſij conuiuia ingenioſa. 4[illegible]
Auguſtinus Chiſius Leoni X. familiar 402.
Pontificem magnificè ſimul excipit, et familiariter. [illegible]
Horti Chiſij. [illegible]
Aug. Chiſius pretioſas patinas in Tibe
deii

deiici iubet. 405
Aug. Chiſij magnanimitas. 406
Aug. Chiſius propria variarum gentium eduliaper diſpoſitos curſores iubet aduehi ad Pontificiam cœnam. 407
Georgij OſſolinsKi Poloni ſplendidiſſima legatio. 408
Echembergij Principis currus argenteus. 408.
Opum, et imperij maieſtas orationem illuſtrat. 409
Italici Cœli, et ſoli benignitas. 411
Barbari, et feræ in Italia manſueſcunt.
Italiae laus et deſcriptio. 413
Romae laus a Pontificio ſolio Apoſtolorum et martirum monumentis. 414
Italicae facundiae ſplendor. 417
Diſcrimen inter venuſtatem et pulcritudinem. 418
Adhortatio ad eloquentiam. 421

Eloquentia ſacrarum litterarum

Sacra Scriptura varijs et ſpecioſis titulis illuſtrata. 432
Eius eloquentia Patrum teſtimonijs comprobatur. 435
Verbi diuini facundia mundum condidit. 435

Di-

Diſciplinarum enumeratio quae in ſacris litteris continentur. 437. et deinceps

Scientiae per Sacras litteras illuſtratae. 441

S. Scripturae ſtylus qualis. 443

S. Scripturae narrationes mirabiles. 444

Chriſtus inſeminatus vbique in S. ſcripturis. 444

S. Scrip. figurae variae. 445 et ſeq.

Tranſlationes ab omnibus elementis mutuatae. 446

Ab homine vel à rebus humanis. 447

Prophetarum conciones affectibus inflammatae. 448 et ſeq

Hieremias dolorem ad viuum exprimit per comparationes. 45

Abrahamus, et Moſes flexanima facundi Deum placant. 45

Sacra eloquia facundiam humanam long ſuperant. 4

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google